Annus XVI. Martius 1902. N. 3.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

III.

DE PARAMENTORUM COLORE IN ALIQUIBUS SACRAE LITURGIAE ACTIBUS

(Decr. 3832: 3499: 2740 ad 12).

Gandinus Subdiaconatus Ordinem in quadam Ordinatione generali recepturus, cum Tunicellam secum non detulisset, ab aedituo petiit: qui requisitum colorem ignorans, alteram dedit coloris albi, quam et Episcopus ordinans ulla sine difficultate admisit. Aliquot vero post diebus, idem Gandinus Diaconatum recepturus, violacei coloris Dalmaticam secum detulit, tacuitque ordinans Episcopus, quamvis privatim in suo Sacello Ordines, die quodam festo conferens, rubeum ipse colorem adhibuisset. Tandem Sacerdotio Gandinus idem initiatus, quum cuidam Collegio Canonicorum fuisset adscriptus, Missamque conventualem die 7 Decembris de vigilia, esset concenturus, colorem album adhibere coactus fuit, cum sibi violaceus videretur adhibendus. Denique Eucharistiam extra Missam

distribuere cum saepe debeat, stolam semper coloris diei assumere vellet, prout Rituale docet, cum nihilominus albi frequenter coloris, qui diei non est, paratam inveniat. Haec singula in Gandino admirationem gignunt, et dubitans an suae, an aliorum imperitiae adiudicanda sint, ad Hilarium ex amicis suis in re rituali apprime peritum dat epistolam, in qua sequentia dubia enodanda *proponit:*

1. *An color paramentorum in omnibus singulisque actibus sacris praeceptivus sit in praesenti disciplina Ecclesiae, et num semper fuerit, vel quando praeceptivus esse coeperit?*

2. *Quid peculiariter iudicandum de paramentorum colore in sacris Ordinationibus adhibendo, tum publicis, quum privatis, seu ab Ordinante, seu ab Ordinandis? Quidque de stolae colore censendum, seu praeterito seu praesenti iure inspecto, Rubrica Ritualis, Decretisque inter se collatis?*

3. *Quomodo Vigiliae, Rubricis Missalis inspectis, distinguantur inter se quod colorem attinet, et quemnam, ut supra, exigant? Quid in specie de Vigilia Immaculatae Conceptionis, ut Gandino fiat satis, dicendum?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. ALAFRIDI FERRARI, **Almi Capranicensis Collegii alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 8 Ianuarii 1902; acta epitome per R.mum Dom.** IOANNEM STROZZI **CC. RR. Lateranens. Abb.**

I. An color paramentorum in omnibus singulisque actibus sacris praeceptivus sit in praesenti disciplina Ecclesiae,

et num semper fuerit, vel quando praeceptivus esse coeperit ?

Colorum varietas in sacris paramentis, quam S. Ecclesia pro Missae Sacrificio ceterisque ecclesiasticis functionibus praecepit, tum ipsorum munerum decori, tum mysticis significationibus est tribuenda : diversitas namque sacrarum vestium ex coloribus potissimum specialem indicat characterem dissimilium sensuum cum affectibus animi humani relationem habentium. Id autem ex intimo procedit nexu, qui inter spiritualia et sensibilia intercedit. Utitur homo sensibilibus rebus, ad excitandos in se et in aliis diversos mentis conceptus et cordis affectus, eoque melius, quo maior est analogiae ratio. Color proinde albus, in quo potissimum lux manifestatur, assumptus fuit ad gaudium gloriam et gratiam indicandam. Eiusmodi albi coloris communis et vetus existimatio, iam ab Ecclesiae exordiis, ipsos quoque Sacrorum Ministros affecit, adeo ut solemniorum festivitatum hic color proprius evaserit. Et revera, plura Ss. Patrum testimonia saeculi IV, ostendunt, vestes Sacerdotales nonnisi albas fuisse. Prope saeculi IV finem dicitur color rubeus in sacris invectus, et testimonium fertur S. Augustini, qui suum quondam discipulum ad Sacerdotium promovens, illi *casulam purpuream gloriosi martyrii praesagam* donavit. Quidquid sit de cetero, dubitari nequit, colorem rubeum, qui color est sanguinis, aptissimum esse ad significandam sanguinis Martyrum effusionem, et Ecclesiae moerorem, quae in eorum occisione *tristis fuit non damno cadentis, sed desiderio recedentis.* Novimus insuper, in Oriente potissimum, colorem rubeum non modo in festis Martyrum adhibitum, sed et in Officiis funebribus. Manet et apud nos huius rei vestigium in sacris vestibus, quibus Papae cadaver induitur, nec non in Pluviali, quo utitur Summus Pontex in defunctorum Officiis, unde effatum : *Papa luget in rubro.* In graeca Ecclesia nullus additus fuit color, sed in

latina temporis lapsu, alii usuvenere, ita ut, iam ante saeculum XII, colores albus, rubeus, viridis et niger fuerint liturgici. Serius tamen quintus est superadditus, violaceus nempe, minus quam niger tristis, qui ut est subrubeus et lividus, aptus est macerationem carnis ostendere afflictionemque spiritus, et prae nigro, antea et ad hoc usitato, congruit diebus poenitentiae assignatis.

In praesenti igitur Ecclesiae disciplina liturgica, paramentorum colores sunt quinque: albus, rubeus, viridis, violaceus et niger. Adnumerari inter liturgicos colores deberet et rosaceus, hodie vel magis, cum a competenti Auctoritate declaratum sit, in chorali officio et in Missis quoque privatis adhiberi posse, Dominicis *Gaudete* et *Laetare*, quo tempore poenitentia longius perdurans tantisper relaxatur (V. Decr. S. Rit. Congreg. diei 29 Nov. 1901); sed cum non sit praeceptivus et impune pro eo adhibeatur violaceus, et nonnisi reipsa violaceus sit aliquatenus sumptuosior et festivus, quippe qui ad rubeum tendit, distincte ab illo non consideratur, et praefatis diebus promiscue adhibetur.

Horum colorum usus, in omnibus et singulis ecclesiasticis functionibus praeceptivus est. Eruitur id praecipue ex his verbis Rubricae Missalis Romani: " Paramenta celebrantis *debent esse* coloris convenientis Officio et Missae diei „, quae profecto valorem assumunt ex Constitutione S. Pii V, ipsi Missali praemissa, qua statuitur: " Mandantes et omnibus districte praecipientes *in virtute sanctae obedientiae*, ut Missam iuxta ritum, modum et normam in Missali praescriptam decantent et legant. „ Quod et Decretis S. Rit. Cong.nis confirmatur, modo prorsus praeceptivo. Ita in una *Vicen.*, diei 19 Decembris 1829 (n. **2675**), et in una *Marsorum*, d. 12 Novembris 1831 (n. **2682** *ad 30*), quo altero edicitur: " quod servetur *strictim* Rubrica quoad colorem paramentorum „. Unde deducitur, praeter necessitatis causam, non posse Missam celebrari, paramentis diversi coloris ab

eo, quem ritus exigit. Diximus *praeter necessitatis causam*, eius namque valoris habendum est praeceptum, quod in morali impossibilitate illius adimplendi, non adeo urgeat, ut potius Sacrum debeat omitti, quam alio cum colore valeat celebrari.

Reputatum est quondam, legi obtemperatum iri et Ecclesiarum commoditati consultum, paramenta omnes praeferentia colores conficiendo. Sed qui fieri potest, ut significatio coloris diei oculis intuentium subiiciatur, cum nullus est color tot inter, qui dominetur? Si igitur unus prae ceteris se distincte prodit aspectui, hic vere mysterium manifestabit, et paramentum legitime assumetur, pro congruente occurrentia, sin vero omnes aeque colores se produnt, nullius erit coloris paramentum, ac proinde vetitum. Item putaverunt quidam, flavum colorem aptum esse aurum repraesentare, qui licite adhibetur pro festivis coloribus, sed cum ratio tolerantiae aureorum paramentorum sit in summa pretiositate materiae (S. R. C. 20 Nov. 1885, n. **3646**, ad II), et haec deficiat in simplici aureo colore, hic merito a S. Rituum Cong.ne repudiatus est. Item caeruleus non admittitur, nisi aliquando ex privilegio. Quoad telam argenteam, dicendum videtur nonnisi pro albo colore posse adhiberi (S. R. C. Decr. cit. V. etiam *Ephem. Liturg.* anni 1901, n. 7, pag. 412 et seq.)

Hinc non amplius sustineri valet nonnullorum antiquiorum auctorum opinio, quod " Rubrica de coloribus paramentorum non est praeceptiva ".

II. Quid peculiariter iudicandum de paramentorum colore in sacris Ordinationibus adhibendo, tum publicis, quum privatis, seu ab Ordinante seu ab Ordinandis? Quidque de stolae colore censendum, seu praeterito seu praesenti iure inspecto, Rubrica Ritualis, Decretisque inter se collatis?

Quod primam partem respicit huius quaesitus, Pontificale Romanum nihil decernit quoad paramentorum colorem

pro Ordinandis. Eiusdem Pontificalis Appendix, pro Subdiacono, ait: " Habere etiam debet manipulum in manu sinistra, tunicellam coloris albi super brachio item sinistro „; pro Diacono: " Stolam in sinistra manu, dalmaticam vero coloris albi supra brachium sinistrum „; et pro Sacerdote: " habentem planetam coloris albi complicatam supra brachium sinistrum „. Verumtamen notandum est, Appendicem Pontificalis Romani, quamvis ad dictum codicem pertineat, tamquam illius complementum, nullimode tamen ad eius substantiam pertinere, quatenus non est textus pars, sed simpliciter additamentum. Unde dicendum, illam non habere eandem auctoritatem, qua textus praeditus est, ex Sanctionibus Apostolicis; dicitur sane Appendix exarata *ad maiorem Episcoporum commoditatem*. Textus igitur Pontificalis nihil praecipit circa colorem adhibendum in sacris paramentis pro Ordinandis. Id autem proculdubio hac de causa factum est, quia difficiliter valde uniformitas colorum haberi supponitur in Ecclesiis pro Ordinationibus generalibus. Romae quidem, in Archibasilica Lateranensi, in qua generales Ordinationes habentur, color respectivi officii retinetur et in Ordinandorum paramentis, quae abunde a Summo Pontifice Benedicto XIII provisa sunt; sed eiusmodi munificentia non cunctis extenditur Ecclesiis; hinc quamquam colorum uniformitas in casu *ex natura rei* requiritur, non adeo urget, ut tale praeceptum constituat, quo potius Ordinandi dimittantur, quam aliis paramentis indui possint. Et ipsamet S. Rituum Congregatio, die 17 Iulii 1894, ad dubium: " Quinam esse debeat color paramentorum pro Ordinandis in Sacris? „ Decreto **3832** respondit: " Ad VI. Color ipsius Celebrantis in Missa, nisi aliud postulet necessitas „. Ratio ob quam in Appendice explicite designatus est color albus, nonnisi ex applicatione Rubricae in consecratione Episcoporum desumpta fuit, quae requirit: " Paramenta omnia pontificalia albi coloris „. Sed cum, a positivo Auctoritatis praecepto abstrahentes, in Episcopo-

rum consecratione aliae considerandae sint mysticae significationes, quae non inveniuntur in ceteris Ordinationibus, deficiente paritate rationis, patet Rubricam illam non debere tamquam legitimam haberi. Putamus tamen, in casu defectus uniformitatis colorum cum Ordinante, melius esse illum praeferre, qui omnibus et singulis similiter induendis, si abundent istiusmodi paramenta in Ecclesia, sufficiet; ita ut omnes et singuli Ordinandi uniformiter induantur; v. gr. vel tantum albo, vel rubro tantum, quamvis aliqua praesto sint paramenta, coloris Missae congruentis.

In casu igitur proposito, Gandinus Subdiaconatus Ordinem recipiens in Ordinatione generali, induere debebat Tunicellam coloris paramentorum Episcopi ordinantis; sed anxius non sit oportet, si albam assumpsit, ex nuper expositis rationibus. Quum autem in Diaconatus Ordine recipiendo, privatim in episcopali Sacello, violacea Dalmatica usus est, profecto est reprehendendus, dum Episcopus, eo die, paramentis induebatur rubri coloris; contraivit enim: 1 Sacrae Rituum Congregationis Decreto; 2° ritui diei festivo, dum violaceum adhibuit colorem, qui poenitentiae ac moestitiae congruit. Sed et hoc in casu necessitas aliqua intercedere potuit; ex qua excusari facile valeat.

Alteram quaesitus partem explanaturi, dicimus: Rituale Romanum, sub titulo: " Ordo administrandi sacram Communionem „, statuit, colorem stolae extra Missam, in casu, esse debere *coloris officio illius diei convenientis.* Disputatum est plurimum, an sub dictione *officii* intelligendum foret officium canonicum proprie dictum, an Missae solius celebratio, ad quam referri potius videtur Communio, quando color unius diversus est ab alterius, v. gr. Fer. V in Coena Domini, et in Vigilia Pentecostes. Sed nulla extante positiva eaque clariori sanctione, liberum cuique putamus unius aut alterius usum, una extante *congruentiae* ratione pro Missae colore. Alia item agitata fuit quaestio; an scilicet, adhiberi valeret sem-

per color albus, prout congruentior ipsi Eucharistico Sacramento. Latum olim fuit a Sacra Rituum Congregatione Decretum in *Tridentina*, die 12 Martii 1836, n. 4777, huius tenoris: " ... 13. An Stola pro ministranda Sanctissima Eucharistia extra Missam *semper* esse *debeat* coloris Officio illius diei convenientis, ut praescribit Rituale Romanum; vel potius esse *debeat* alba, prout valde conveniens Sacramento Eucharistiae, ut multi censent Doctores? " et responsum: " Ad 13. Iuxta Ritualis Romani Rubricam, debet esse coloris Officio illius diei convenientis ". Sed in nova Collectione, ab eadem S. Congregatione reformatum fuit dubium et responsum hoc in sensu: n. **2740** ".... 12. An Stola pro ministranda Sanctissima Eucharistia extra Missam esse *debeat* coloris Officio illius diei convenientis, ut praescribit Rituale Romanum; vel etiam esse *possit* alba, prout valde conveniens Sacramento Eucharistiae, *ceu* multi censent Doctores? " Ad 12: " Affirmative ad utrumque ". Quo Decreto consuetudo sententiae Baruffaldi adhaerens legitima facta est, et commoditati Ecclesiarum fuit prospectum, firma tamen semper manente Ritualis dispositione. Similiter quoad Stolae colorem a Sacerdote adhibendum, qui ad S. Communionem accedit, in nova Collectione invenitur, sub die 4 Iulii 1879, eamdem S. Congregationem in *Antibaren. et Scodren.*, n. **3499** ad 1, respondisse: " Sacerdos communicans utatur Stola eiusdem coloris ac Sacerdos, qui ministrat, vel coloris albi ", dum reipsa in veteri Collectione tacebantur haec postrema verba.

III. Quomodo Vigiliae, Rubricis Missalis inspectis, distinguantur inter se quod colorem attinet, et quemnam, ut supra, exigant? Quid in specie de Vigilia Immaculatae Conceptionis, ut Gandino fiat satis, dicendum?

Vigilia, *a vigilando* desumitur, et cum primaeva Ecclesia originem habuit. Haec aliud non est, nisi praeparatio ad festivitates, ut christiani ieiunio disponantur, aut saltem officio, ad digniorem solemnitatis celebrationem. Tunc Christifideles

vigilare per totam noctem solebant, at, postea, pietate frigescente, omitti coeptum est vigilias, ac saeculo XI, ob abusus et inordinationes introductas, abrogatae fuere. Solemnitates, quae serius institutae sunt, vigiliae non praeveniunt, quemadmodum solemnitas SS. Corporis Christi, S. Ioseph et B. M. Virginis (huius Assumptione excepta, prout antiquioris institutionis). Vigiliae distinguuntur in vigilias cum ieiunio, et in vigilias absque ieiunio. Omnes vigiliae Ecclesiae universalis ieiunium adnexum habent, exceptis vigiliis Epiphaniae et Ascensionis.

Color sacrarum vestium in Vigiliis cum ieiunio est violaceus, idque ex Missalis Rubrica, quae habet: " In Quatuor Temporibus et Vigiliis, quae ieiunantur, violaceo colore utitur, exceptis Vigilia et Quatuor Temporibus Pentecostes ". In Vigiliis absque ieiunio color sequitur solemnitatem. Quoad Vigiliam Immaculatae Conceptionis, quae a Pio Pp. IX instituta fuit, antequam a S. Rituum Congregatione statutum fuerit, quonam colore utendum, duae militabant sententiae circa paramentorum Missae colorem. Alii album praescribebant, ex carentiae ieiunii ratione, qua deficiente, incongruum videbatur poenitentiae colore uti. Alii violaceum volebant ob ipsam Vigiliae naturam, quae poenitentialis est, et ieiunium importans, super quo *ratione temporum* opportune dispensatum est. Insuper Missa Vigiliae feriali officio respondet, quod in casu violaceum requirit colorem, cum in Adventu occurrat. Nec valet in medium afferre similitudinem cum Vigilia Ascensionis; haec enim solemnitas, tempore celebratur Paschali, quod gaudium et iubilationem secumfert, et ieiunium proinde excludit, omniaque poenitentiae signa. Ceterum, ut in antiquis codicibus liturgicis legimus, dies festivitatem praecedens poenitentialis erat; hinc in Vigiliis Apostolorum, etiam sublato ieiunio, color violaceus pro officio et Missa remansit, atque a Clero genuflectitur ab initio Canonis usque ad consummationem; hoc vero vi De-

creti Summi Pontificis Urbani VIII, qui, licet a ieiunio in praefatis Vigiliis dispensaverit, nihilominus, quoad ritum, cuncta ut prius intacta perseverare iussit, sicut antea. His ducta rationibus Sacra Rituum Congregatio, die 12 Septembris 1901, ad dubium: " An in Missa de vigilia Immaculatae Mariae Virginis Conceptionis adhibendus sit color albus, vel violaceus „, respondit: " Negative ad primam partem, affirmative ad secundam „.

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI.

(Continuatio n. 2, p. 99).

(350) *Si aliquod festum duplex.....* Hic agit rubrica de festis, quae ritu duplici recoluntur, quando incidunt in diebus quibusdam, fixis vel mobilibus, quos enumerat, ita ut festa ipsa duplicia transferri debeant. De semiduplicibus paulo inferius pertractat.

(351) *.....occurrit.* Quidquid sit de genuina significatione, quam in lingua Latii habebat et habet verbum *occurrere*, omnes liturgici auctores ac Rubricae Breviarii et Missalis Romani, hanc significationem tribuunt illi, quasi diceret: *incidere*, aut *simul incidere*. Quando duo vel plura festa in eandem diem incidunt, dicuntur *occurrere* tali die; et eorum incidentia dicitur consequenter: *occurrentia*, aut etiam *occursus*. Hae voces adhibentur ergo tantummodo in scientia liturgica, non vero in aliis.

Occurrentia itaque, est quidam conflictus duorum vel plurium festorum aut officiorum, quae in una eademque die sedem propriam habent, ita ut, ait Guyetus (*l. 4, c. 7.*), *si neutrum cum sola commemoratione peragi queat, necesse sit alterum dimitti.*

Ex usu autem, licet non semper detur huiusmodi conflictus, dicitur similiter ex. gr. Epiphaniam *occurrere* die 6 Ianuarii, et Assumptionem B. M. V. die 15 Augusti; et in

hoc casu, *occurrere* idem est ac in tali die sedem suam habere. Ex quo patet, dari posse occurrentiam perpetuam, et occurrentiam accidentalem: secundum quod conflictus est perpetuus, ut ex. gr. die 8 Septembris, inter Nativitatem B. M. V. et S. Hadriani; vel est temporaneus, ut quando S. Andreas Apóstolus simul incidit cum Dominica 1 Adventus. De quo vide quid docuimus supra, de impedimentis perpetuo et accidentali.

(352).....*in Dominicis Adventus et Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive.* Omnes enim Dominicae dies hic recensitae, prout suo loco vidimus, dicuntur *maiores*, et praeferentur festis plus vel minus, ut infra melius dicetur.

(353).....*in Vigilia et festo Nativitatis Domini, in die Circumcisionis, in festo ac tota octava Epiphaniae.* Hoc loco, ante Rubricarum emendationem anno 1897 peractam, desiderabatur mentio duorum festorum Nativitatis et Epiphaniae, sicut notavit etiam Meratus; in praxi tamen, et ex tabella occurrentiae, satis intelligebatur comprehendi debere has festivitates, inter solemnissimas existimatae.

(354)... *in feria quarta Cinerum, in tota maiori hebdomada et infra octavam Paschae.* Licet hic non exprimatur festum Paschatis, quae est festivitas festivitatum, nihilominus bene iam comprehenditur in locutione superiori: *in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in albis*, inter quas decurrit quoque Dominica Paschatis.

(355)... *in festo Sacratissimi Cordis Jesu, in festis Immaculatae Conceptionis, Annunciationis ..... B. M. V.....* Tria haec festa ad ritum duplicem primae classis elevata sunt a regnante Pontifice Leone XIII, et hic porro in nova reformatione rite inscripta.

(356).... *in Nativitate sancti Ioannis Baptistae, in festo S. Ioseph..... SS. Apostolorum Petri et Pauli....* Festum S. Ioseph iam inscriptum hic fuerat in Rubricarum emendatione anni 1880; in notandis autem post tabellam occurrentiae, adiecta tunc fuere idem festum S. Ioseph, et illud SS. Apostolorum Petri et Pauli, non autem S. Ioannis Baptistae. Nihilominus ab omnibus iam admittebatur praestantia festorum tam SS. Petri et Pauli, quam S. Ioannis Baptistae, super quodcumque festum locale etiam primae classis. Imo S. R. C. eandem praeferentiam decrevit die 11 Mai 1743, n. 4143 antiquae collectionis; quod decretum, nunc in nova expunctum fuit eo quod in ultima reformatione Rubricarum haec praeferentia admissa fuit.

(357).... *transfertur....* Licet hoc loco recensentur festa mobilia et immobilia, nihilominus hoc verbum *transfertur*, antiquitus non intelligebatur, nisi in sensu translationis temporaneae. Ideoque ex. gr. officium S. Antonii Ab. quod Placentiae impeditur a festo S. Sabini Episcopi, non erat tunc affixum in die stabili et perpetuo, sed quotannis in prima die libera celebrabatur, sicut cetera officia a festis mobilibus impedita.

Non satis intelligitur quomodo ita interpretabantur calendariorum redactores hunc locum Rubricarum, maxime quia cl. Gavantus magister acceptissimus, qui bis in reformatione Rubricarum Breviarii adhibitus fuerat, earum sensum genuinum hac super re exposuerat, (*sect. 3, c. 10, n. 15*) scribens: *Quod si quotannis accidat occursus, assignanda erit dies sequens in perpetuum.*

Quum Gavanti sententia, secuta est S. R. C. in suo decreto in indice a Merati, n. 80, relato, d. 29 Novembris 1659, nec non secuti Patres Franciscales de Observantia, in sui Breviarii Rubricis particularibus, editis anno 1696.

Nihilominus postea, et liturgici scriptores, et ipsamet

S. R. C. in suis Decretis 28 Augusti 1706 ad 5. n. 3749, et 14 Decembris 1700 ad 2. n. 3819, quae in nova collectione merito reiecta sunt, contrarium sentierunt. In hoc ultimo Decreto secundae quaestioni sic propositae: *nonnulla officia Sanctorum propter perpetuam occurrentiam cum aliis officiis maioris dignitatis, seu solemnitatis, seu ritus perpetuam habent translationem, et iuxta Rubricam de translatione festorum n. 6 in primam diem non impeditam semper transferenda sint; quaeritur: An illa prima dies censenda sit propria illius translati sedes perpetuo iuxta Gavantum sect. 3, cap. 10. num. 15; ita ut debeat de eo celebrari semper illa prima die etiam si occurrat transferri aliud officium eiusdem vel superioris ritus?* S. R. C. respondit: *Negative, et serventur Rubricae generales.*

Procul dubio tunc S. Congregatio hoc sensu accipiebat Rubricam istam, ac proinde reiecit in allato Decreto sententiam Gavanti, atque implicite revocavit aliud Decretum anni 1659.

Veritas tamen paulo post emicuit, cum enim hac eadem quaestio reproducta fuisset, S. R. C. exquisivit votum eximii viri Ioan. Bapt. Gambarucci, Caeremoniarum apostolicarum Praeses et Archiepiscopus Amasenus, quo audito, die 2 Iulii 1712, n. 2214, statuit: *Faciendum esse de officiis de quibus agitur* (nempe perpetuo impeditis), *sub diebus respective perpetuo assignatis, etiam in occursu Dominicae.*

Quam Rubricarum interpretationem constanter eadem Congregatio secuta est in variis Decretis, praesertim in Decreto 5 Maii 1736, ad dubium 1, circa titulum X Rubricarum; quod dubium, nunc in nova Collectione n. 2319 expunctum fuit, non quidem quia erratum, sed quia hodie prorsus inutile.

Regula ergo, quam hic tradunt Rubricae, inservit tam pro impedimentis accidentalibus, quam pro perpetuis; et sensus huius vocis *transfertur*, duplex est, exprimit enim tam

translationem officii impediti aliquo anno a festo mobili, quam repositionem festi perpetuo ab alio impediti.

Dolendum tamen, quod tabella occurrentiae, quae habetur in Breviario, ita sit adhuc disposita, ut tantummodo inserviat pro occurrentiis accidentalibus, nihil enim docet, quid sit agendum, ex. gr. quando duo duplicia minora perpetuo simul occurrunt. Sed de hoc suo loco tractabimus.

(358) .... *in primam diem festo duplici vel semiduplici non impeditam.* Qui calendarium observat, in principio Breviarii dispositum, plurimos dies videt plane vacuos, scilicet absque ullo festo inscripto, ut ex. gr. dies 12, 13, 16 et 17 Februarii; nonnullos vero dies, in quibus inscribitur aliquod festum ritu simplici celebrandum, eo quod caret adnotatione ritus duplicis vel semiduplicis, ut ex. gr. dies 14 et 15 eiusdem mensis Februarii, in quorum primo inscribitur festum S. Valentini Presb. Mart., in altero Ss. Faustini et Iovitae Martyrum. Tam dies omnino vacui, quam illi in quibus invenitur inscriptum aliquod festum *simplex*, dicuntur *non impediti*, imo *perpetuo non impediti*.

Quando ergo agitur de impedimento perpetuo, festum impeditum reponitur perpetuo in prima die, quae vel omnino vacua, vel cum inscripto festo simplici invenitur post diem in quo cadit impedimentum. Hinc ex. gr. ex novo Decreto concessionis festi S. Bedae, die 27 Maii sua natalitia celebrandi, inde amotum fuit officium S. Mariae Magdalenae de Pazzis, et hoc, ex dispositione huius Rubricae, repositum fuit, non in sequenti die 28, quia iam occupato a festo S. Augustini Cantuariensis Episcopi, sed die 29, quia est prima dies libera post 27.

Post notiones iam supra a nobis datas de die *assignata*, evincitur non posse considerari tamquam liberam diem illam, in qua assignatum sit officium aliquod, ita ut aliud festum, licet dignius et anterius, in ea transferri possit. Quocum-

que enim titulo aliquod festum diem quamdam occupat, haec dies, ut patet, iam impedita est; ideoque S. R. C., die 22 Aprilis 1871, n. 3248, ad 6, declaravit: *Dies liberi ii tantum censendi sunt, quibus nullus Sanctus, etiam translatus, est assignatus.* Subintellige sub ritu saltem duplici vel semiduplici.

Si vero agatur de impedimento *accidentali*, tunc dies non impediti dicuntur illi, qui in calendario illius anni liberi ut supra inveniuntur. Diximus in calendario illius anni, quia in eo quamplures dies, qui liberi sunt in calendario perpetuo, non amplius liberi esse possunt in calendario cuiusdam anni. Exemplum rem melius illustrabit.

Hoc anno 1902, Ascensio Domini occurrit die 8 Maii, cum vero sit unum ex festis solemnissimis mobilibus in hac Rubrica recensitis, ideoque, cum ea die occurrat quoque Apparitio S. Michaelis Archangeli, *duplex maius*, hoc festum transferendum erit.

Prima dies libera in calendario perpetuo est 11, eiusdem mensis, sed cum anno currenti dies 11 Maii sit Dominica, in eo nullimode officium S. Michaelis transferri poterit. Ratio est, quia Rubrica hic bene et adaequate loquens, dicit: *in primam diem* festo *duplici vel semiduplici non impeditam;* atqui Dominica, est *festum semiduplex*, ergo libera non est dies 11 Maii, hoc anno 1902, ut possit admittere officium translatum S. Michaelis.

Si argumentum nostrum alicui non faceret satis, in promptu est S. R. C. Decretum 12 Martii 1618 n. 361 ad 1, in quo declaratum fuit: *appellatione festi novem lectionum venire et intelligi etiam diem Dominicam;* et, prout infra videbimus, sub vocabulo *festi novem lectionum*, intelligitur quodvis festum duplex vel semiduplex, ergo.

Propterquod hoc anno 1902 Apparitio S. Michaelis celebrabitur die 13 Maii, quae est prima libera in calendario huius anni. Neque obstat quod occurrat haec dies, infra

octavam Ascensionis, quia etsi dies infra octavam sit ritus semiduplicis, nihilominus non excludit officium translatum. Et sane, Rubrica haec non dicit: *in primam diem* ab officio *semiduplici non impeditam*, sed, *a festo;* atqui dies infra octavas non venit sub nomine *festi*, ergo.

Quod hic dicimus de diebus infra octavam Ascensionis, qui non excludunt officia duplicia translata, dicendum quoque est de reliquis octavis non privilegiatis, quia octavae Epiphaniae, Paschatis et Pentecostes in hoc loco Rubricarum recensentur inter officia, quae excludunt festa ipsa occurrentia, ergo a fortiori festa translata. Idem dicatur de diebus infra octavam Corporis Christi, qui admittunt occurrentia festa duplicia, sed excludunt translata.

(359) .... *exceptis tamen festis S. Ioannis Baptistae et Ss. Apost. Petri et Pauli, quae in die octava Corporis Christi et in festo Sacr. Cordis Iesu celebrantur.* Prima exceptio iam habebatur in antiquis rubricis; cum enim inter officia impedientia quodvis festum duplex, non tantum inscriptum sit festum Corporis Christi, sed et eius octava dies, et cum haec dies octava admittat festa solemnissima, necessario hic excipiuntur festa S. Ioannis Bapt. et Ss. Petri et Pauli. Melius fuisset si in ultima reformatione hoc loco diceretur: *exceptis festis duplicibus primae classis*, uti factum est in Rubrica speciali ante ipsum festum Corporis Christi, quae sic se habet: *Die vero octava non fit nisi de duplici primae classis.*

Quoad vero festum Sacr. Cordis Iesu, cum ex Decreto S. R. C., 27 Augusti 1893, N. 3808 inscriptum sit inter festa secundaria, necessario cedere debet festis primariis Sanctorum.

Quando tamen huiusmodi festum Sacr. Cordis Iesu per Decretum SS. D. N. Leonis XIII, diei 28 Iunii 1889, ad ritum primae classis evectum est, tunc omnibus duplicibus primae classis praeferebatur, quae sine feriatione recolebantur; quo Decreto postea emendato, res cessit in melius, et

nunc ceteris festis primae classis locum cedit, quae primaria sunt, cum vel sine feriatione, ut clarius infra dicit Rubrica.

(360) . . . *excepto quoque festo quocumque solemni alicuius loci.* Nempe, excepto quocumque alio festo duplicis primae classis, in Calendario generali non inscripto, quod aliquibus in locis celebrandum venit, uti Patronus, vel Titularis Ecclesiae.

(361) . . . . *quod in propria tantum Ecclesia, in aliquibus ex supradictis diebus occurrens, scilicet in Dominicis* II, III, IV *Adventus et Quadragesimae, Dominica Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae* . . . : Quia hae Dominicae, quae vocantur *maiores secundae classis*, cedunt duplicibus primae classis, prout decernunt Rubricae Tit. IV, num. 1, et Tit. 9, num. 2.

(362) . . . . *et diebus infra octavam Epiphaniae* . . . . . de quibus hoc idem statuitur supra Tit. VII, num. 3. Nescimus autem quare hoc in loco non inscribatur dies octava Corporis Christi. Cum enim haec Rubrica iam enumeraverit huiusmodi octavam diem inter officia quae excludunt *festum duplex* occurrens, et cum, prout vidimus in nota 359, ipsa cedit duplicibus primae classis, congruum videretur ut hic quoque diceret Rubrica: . . . . *et diebus infra octavam Epiphaniae, ac in die octava Corporis Christi.*

(Continuabitur).

Doct. Petrus Piacenza.

INSTRUCTIO CLEMENTINA

PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM

LATINE REDDITA

NOVISSIMIS APOST. SEDIS DECRETIS AUCTA

BREVIQUE COMMENTARIO ILLUSTRATA

(*Continuatio.* V. num. 2, pag. 100-103).

(10) *Tabernaculum*, a taberna, in sua ampliori significatione, accipitur pro diversorio, aut mansione tentoriis protecta. Strictiori sensu liturgico, est vasculum in quo sanctissima Eucharistia asservatur. Latiori autem liturgico sensu, est loculus in parvi templi formam elaboratus, in medio Altari situs, conopeo contectus, in quo vas illud asservatur. Sed in sensu *Instructionis*, est potius quid simile *Ciborio*, de quo sermo est in Caeremoniali Episcoporum *(loc. cit., n. 13)*, quod ex lapide seu marmore confectum, ad modum umbraculi seu baldachini, columnis sustentati, ad tegendum Altare inservit. Tabernaculum igitur, in nostro casu, illius formam praeseferet, sed, ut facile intelligitur, arctioribus limitibus perstrictam, pro magnitudine Ostensorii intus reponendi, et Altaris ipsius mensura. Nil refert quanam ex materia conficiatur, dummodo sit decens et pulchrum.

Quid sub nomine *Throni* veniat, satis notum est: regia sedes, quae regum Regi maxime debetur. Thronus regulariter constare deberet planitie praealta, postergali et baldachino. Ars tamen christiana plures excogitavit formas, quae substantialiter Throni figuram retinent; apponuntur, loco

postergalis, radii, quasi ex sole manantes, cum imperiali corona sive per Angelos sustentata, sive alias suspensa; effingitur papilio seu conopeum regium, corona praestante; aedicula cum, aut sine, peristylio affabre elaborata..., quibus nil in contrarium opponi valet, prout nec usui quarumdam Ecclesiarum, totum Altare contegendi amplo conopeo, ex magna corona defluente, sub qua collocatur Ostensorium.

Ubi tamen magnum *Ciborium*, seu pensile baldachinum, iuxta Caeremoniale, invenitur, aut nobilis aedicula seu loculus, nullo alio Tabernaculo seu Throno opus est, quod et obvia ratio docet, et usus Patriarchalium Urbis ostendit.

Sed opponi potest: iuxta Decretum **1966**-*3421*, in *Cotronen.* d. d. 27 Aprilis 1697, in *omnibus Altaribus*, sive Cathedralis, sive aliarum Ecclesiarum, *debet erigi baldachinum*, et non in maiori tantum, in quo asservatur Augustissimum Sacramentum; frustranea ergo est Instructionis praesens sanctio. Huic difficultati hac reponimus animadversione: Altaria nunc, et praecipue maiora, sub tribunae fornice eriguntur, qui cum ciborii instar se habeat, baldachini vices quodammodo supplet, sed insufficiens videtur ad vices Throni supplendas; unde ad maius Sacramenti decus et venerationem, Tabernaculum seu Thronus requiritur.

Frequenter nulla prorsus Throni forma habetur in expositione Ss.mi, sed Ostensorium aut supra simplicem basim collocatur, aut supra sphaeram mundum repraesentantem, vel etiam Angelorum manibus sustentatur. Nihil in his reprehendendum, dummodo desuper baldachinum, seu tentoria pendeant, ut sin Thronus, Tabernaculum saltem habeatur.

De Throni colore sollicitam se praebet Instructio, docetque, esse debere album; ast hoc intellige, quando cortinae, seu alia ornamenta textilia apponuntur, non autem cum agitur, v. gr., de opere caelato, aurato, aut marmoreo. Sed et ab ornatu Throni proprie dicti abstrahendo, non videtur improbandus usus rubri coloris adhibendi in magno cono-

peo, de quo supra diximus, quia et hic color, festivus est, et aureis ornamentis nobilior efficitur. Ita non redarguuntur Rectores de legis infractione, etiam in primariis Ecclesiis, dum quolibet anni tempore baldachinum Altaris semper rubri retinent coloris, potiusquam, iuxta Caeremonialis dispositum, pro dierum varietate immutent.

Sed et notatu digna est dictio *super Altari*, ex qua cavendum praecipitur, ne ita construatur machina, quae huius Orationis occasione ubique fere construi solet, ut ab Altari seiuncta maneat; nunquam enim extra sacratum Altare, Christum ipsum repraesentans, exponi aut collocari sanctissimum Sacramentum debet. In *eminenti situ* Tabernaculum sive Thronum poni iubetur, et hoc honoris causa; quae, salva pluris vel minoris proportione, pro actus diversa solemnitate, eadem militat et in ceteris expositionibus. Locus sane eminentior debetur omnium Domino; unde perperam, commoditatis ratione, Thronus, praecipue pro frequentioribus expositionibus, adeo depressus collocatur, ut ne candelabris quidem supereemineat. Si enim lex est *(Caerem. Episc., lib. I, cap. 12, n. 11)*, ut Crux sit " praealta, ita ut pes Crucis aequet altitudinem vicinorum candelabrorum, et Crux ipsa tota candelabris supereemineat ", eo magis supereminere debet Thronus pro sanctissimo Sacramento solemniter exponendo. Hinc omnino reprobari debet usus SS. Sacramentum, etiamsi in temporaneis expositionibus, super Altaris mensa collocandi, non autem super Throno; nisi forte agatur non de proprie dicta expositione, sed tantum de benedictione, nullis precibus praecedentibus, sed tantum hymni parte, necessario praemittenda, *Tantum ergo etc.* (S. R. C., die 15 April. 1880, *Delegationis Apostolicae Peruvianae*, n. **3513**), uti fit post processionem in festo sanctissimi Corporis Christi, aut XL horarum, ut suo loco dicemus.

Iuverit hic adnotasse, ita dispositum esse debere Thronum, seu locum expositionis, ut facilis sit ad illum ascensus,

ac omnis arceatur indecorus ac singularis modus Sacramentum exponendi, prout esset quaedam machina, cuius ope elevaretur ac deponeretur Ostensorium, quae a S. Rituum Congregatione pluries repudiata fuit, sicut in *Taurinen.*, die 7 Iulii 1877, n. **3425**-*5701*.

(11) Saepe Throni planities tam parva est, ut Corporale male illi aptetur; unde usus potius inibi ponendi *Pallam*. Nil in contrarium huic usui opponi valet; omnibus quippe compertum est, Pallam nonnisi Corporalis partem esse, ab eo olim nullimode seiunctam, nunc autem, commoditatis gratia, separatam; qua ex causa, non modo una cum Corporali benedicitur, sed et separatim ab eo benedici potest, eadem, uti iacet, recitata formula, quae sub titulo: *Benedictio Corporalium* habetur (S. R. C., die 4 Septemb. 1880, in *Briocen.*, n. **3524**-*5818* ad III). Ceterum super Corporale plicatum Ostensorium incommode et etiam periculose collocaretur. Alicubi mos est, Corporale amylo non imbutum, ita disponendi, ut ad tobaleae modum circumcirca dependeat, ac textili denticulato aut aurato circumdatum, ornamento quoque inserviat; et contra hunc morem nil habemus quod opponamus, cum lex et hac ratione apprime servetur. Vetitum est tamen, pro Corporali, *pulvinar* Ostensorio supponere, ex S. Rit. Congregationis Decreto, d. d. 31 Augusti 1867, in *Mechlinien.*, n. **3157**-*5381* ad IX.

(12) Hodierna Ecclesiae disciplina (V. Rituale Rom. *De Process. in festo SS. Corp. Christi)* requirit, vas Eucharistiam continens, quod sub nomine venit *Ostensorii, Custodiae, Monstrantiae, Sphaerae*, quando Sacramentum ad publicam venerationem solemniter exponitur, non esse debere undequaque clausum, sed ita confectum, ut, saltem ab anteriori parte, per chrystallum S. Hostia patefiat. Imo ex hisce Instructionis verbis eruitur, sphaeram complanatam, seu potius cir-

culum, proportionato fulcimento sustentum, radiis circumdatum, Romae saltem, adhibendum esse, non autem alterius formae Custodiam. Lex insuper ecclesiastica exigit (S. R. C., ad Episc. *Ariminen.*, 11 Septemb. 1847, n. **2957**-*5112)*, ut in summitate Ostensorii Crux visibilis apponatur. Ostensorium ipsum, nec non et lunula, quae ad S. Hostiam sustentandam inservit, ex pretiosiori metallo decet ut conficiatur, sed et ex inferiori, v. gr. ex cupro deaurato, permitti potest (S. R. C. 31 Augusti 1867, in una *S. Hippolyti*, n. **3162**-*5386* ad VI). Verum, licet S. Hostia intra duo crystalla undequaque clausa retineri valeat, ita ut contactibus externis non sit obnoxia, tamen ita collocari debet, ut *crystalla non tangat*, sed lunulae aut similis instrumenti ope sustentetur: ita S. Rituum Congregatio, iuxta Decreta alias edita, declaravit, die 16 Ianuarii 1898, da *Dubium seu Galliarum*, n. **3974**. Ostensorium, lunula aut similia instrumenta benedici *possunt*, ad modum unius, formula quae in Appendice Ritualis Romani invenitur, sed eiusmodi benedictio non est ex praecepto, cum Appendix Ritualis ad *commoditatem* sit adiecta, non ad modum legis universalis, et est ex reservatis Episcopo; et cum S. Rit. Congregatio, 16 Novemb. 1649, in *Ianuen.*, n. **926**-*1017* ad 5, respondit *servandas esse Rubricas*, quoad benedictionem Pyxidis, Purificatorii et Ostensorii, vel saltem lunulae, formula benedictionis, de qua loquimur, adhuc non habebatur. Si lunula tantum benedici velit, eadem formula adhiberi potest, *vasculum* enim dici valet, saltem lato sensu, quemadmodum et Ostensorium ipsum nonnisi lato sensu *vasculum* appellari potest. Hinc nobis non videtur amplectenda Pighi doctrina: haec (lunula) benedicenda cum formula, cui titulus in Rituali: *Benedictio Tabernaculis seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda;* non enim lunula ad *conservandum* (*condendo*, habet Oratio) Christi Corpus destinatur.

(13) Finis expositionis est, ut Sacramentum libere et patenter intueri queat; si igitur sive cereorum, sive cortinarum, sive pensilium lampadarum, seu vasorum appositione, sive alio quovis ornatu quomodocumque abscondatur, non amplius ipse finis attingeretur. Dicitur: " contra „, *davanti;* sed considerandum est, in pluribus Ecclesiis Altaria haberi ad formam orientalem, ita ut non sufficiat tunc anteriorem partem liberam esse, sed necessarium est potissimum, apertam posteriorem relinquere, quae manet ad populum versa. Expositio sane pro populo praecipue instituitur; hoc igitur in casu animadvertendum quoque est, ne Thronus seu Tabernaculum postergali, aut radiis, huius instar, instruatur.

Consuevit divinissimum Sacramentum non modo patenter exponi, sed etiam, eodem servato apparatu solemnitatis, cum Throno etc., sed uti se exprimit Benedictus XIV (*Instit. XXX, n. 22*), privata de causa, velamine quodam obtectum, quae expositio medium locum tenet inter solemnem et illam, quae privata dicitur, nempe Sacramento in Pyxide clauso. Huiusmodi expositio pluribus in locis hodie obsolevit, sed et ubi in usu manet, retineri nequit occasione XL horarum, si habeatur iuxta Clementinam, hac enim, ut patet, ratione, finis expositionis assequi non posset; unde si ornatus prohibentur, multo magis cuiuscumque generis impedimenta.

§ VI. Ardano sopra l'Altare almeno venti lumi continuamente, cioè sei candele di una libbra, tre per parte dalli lati della Croce, ed otto candele dalla parte superiore, con altre quattro dalli lati dell' Ostensorio, nella cui parte opposta non vi si ponga

§ VI. Super Altare continuo ardeant viginti saltem lumina (14), sex nempe candelae unius librae, tres ab unoquoque latere Crucis (15), et octo candelae in superiori parte, cum aliis quatuor a lateribus Ostensorii, in cuius parte postica nul-

omninamente lume alcuno; e sieno finalmente due Torcieri con le fiaccole almeno di tre libbre l'una.

L'istesso numero di lumi vi sia anche la notte, dopo serrata la Chiesa, dei quali ve ne siano almeno dieci di cera; e per la Chiesa, nella sera si mettano lumi sufficienti per evitare la confusione, i quali stiano accesi finchè si chiudano le porte di essa. Potranno anche di giorno oscurarsi le finestre vicino all'Altare dell'Esposizione, ad effetto di raccogliere la mente dei fedeli all'orazione.

lum omnino ponatur lumen (16); adsint tandem duo candelabra cum cereis, quorum unusquisque trium saltem sit librarum (17). Idem quoque, clausa Ecclesia, per noctem retineatur luminum numerus, quorum decem saltem sint ex cera (18): tempore autem serotino, tot per Ecclesiam ponantur lumina, quot ad vitandam confusionem sufficiant, accensaque remaneant usquedum ianuae claudantur (19). Fenestrae Altari expositionis vicinae, etiam per diem obscurari poterunt, ad fovendam fidelium in oratione recollectionem (20).

(14) Quaestio circa cereorum numerum in solemnibus Ss.mi Sacramenti expositionibus, ante Clementinam Instructionem indefinita, uti constat ex Decreto **1992**-*3464* in *Narnien.* (15 Mart. 1698), quo declaratur, luminum quantitatem, in expositione instar proscaenii, *pietati facientis expositionem* esse *remittendam*, dummodo *in Altari* super candelabris ad minus *sex candelae* accensae retineantur, post praefatam Instructionem definita est, saltem pro Urbe; edicitur enim etiam in aliis expositionibus solemnibus idem esse debere numerus cereorum continuo ardentium *(§ XXXVI)*. Dicimus saltem pro Urbe, alibi enim S. Rit. Cong.tio *videtur* hunc numerum optare (V. Dec. **3480**-5765 in *Aturen. et*

Aquen., 8 Febr. 1879), sed *necessitatem* ac *paupertatem* Ecclesiarum considerans, declarat, licere Episcopis *ad duodecim* tantum *reducere* numerum cereorum in publica expositione pro perpetua adoratione *ad tramitem Institutionis 30, n. 24.* Benedicti XIV. Hic autem Pontifex, loquens de Oratione XL horarum, aiebat: " Si *per noctem* sacra Eucharistia super Altari posita sit, ardeant *duodecim* faces (V. inferius, ad (18)) "; de die pro hoc casu, non loquitur, sed, pro casu expositionis quotidianae, vult " ut *duodecim saltem* cerei circum ardeant (*ib. 17*). Mens ergo Benedicti est, ut in expositione XL horarum *plus quam duodecim* cerei ardeant *per diem.* Occasione solemnium Benedictionum cum Sacramento, sufficient et decem, iuxta Innocentium XI (10 Maii 1682). Attenta Ecclesiarum paupertate, nunc et Romae antiqua disciplina aliquantum relaxata fuit, ut et occasione perpetuae expositionis (non tamen XL horarum: " *Circolare* „ *19 April. 1891*), causa ab ecclesiastica Auctoritate recognita, minor cereorum numerus permittatur. Ut concludamus igitur, *quantum fieri potest,* uti optat S. Rit. Cong.tio, Instructio Clementina ubique servetur, et constitutionibus synodalibus, aut Episcoporum placitis, iuxta Ecclesiae mentem, attendatur.

In expositione vero quae habetur, velato Ostensorio, iuxta Benedictum XIV, *saltem cerei bis sex accendantur* (*Instit. XXX, n. 22*).

Si expositio tandem habeatur tantum in Pyxide, infra Tabernaculi ostiolum (non enim licet eam extrahere et sub Throno collocare: S. R. C., *Ord. Min. Cap. Prov. Helvet.*, 23 Maii 1835, n. **2725**-*4748*, ad IV; neque aliter e Tabernaculo educere, nisi pro benedictione impertienda, 16 Ian. 1886, n. **3650**-*5957*, ad 1, in *Palentina*), " *cum sex saltem luminibus cereis* collocetur (S. Cong.tio Episc. et Regul., die 6 Decemb. 1602. — Cfr. Bened. XIV, *loc. cit., n. 21*) ".

(15) Numquid dum Crucis hic fit mentio, concludendum est toto tempore expositionis eam retineri posse in Altari?

Minime gentium; ubi enim Prototypus adoratur, supervacanea saltem adiudicari debet imaginis exhibitio. Quaestio olim agitabatur, de Crucis necessitate, Sacramento exposito, super Altari, ratione gravis praecepti Rubricae (sed literae potius), tempore Sacrificii, quod et ipsi S. Rit. Cong.ni quondam placuit esse materialiter adimplendum; sed, re penitius considerata, et attenta praxi Patriarchalium Urbis, eadem S. Cong.tio, die 2 Septembris 1761, ad dubium 1^um^ Decreti **2365**-*4119* in *Aquen.*, respondit, *relinquens quemlibet in sua praxi.* Verum est dubium inquirere quid agendum, *etiam post tempus Sacrificii*, sed S. C., cur nescimus, noluit ad hoc cathegorice respondere, et de tempore tantum Sacrificii loquuta est; fortasse quia nec dubium in re a nemine controversa, voluit admittere. Sed quidquid sit de consuetudine, cl.mus Pighi normam forte in praxi tutius tenendam exhibet (Liturg. Sacrament., *P. I, Tit. III. n. 117, not. 4):* " Si talis sit Altaris structura, ut Celebrans SS. SS. Sacramentum adspicere queat, Crux omittatur; secus vero apponatur „. Unde expleto Sacrificio, standum praxi universali. Sed quaeri potest, quare igitur Instructio nostra praecipit: *ut ardeant candelae a lateribus Crucis?* Respondemus: 1°. Quia prima et necessaria actio ad illud Altare, in casu, est Missa expositionis, pro qua Crux absque dubio requiritur, cum Sacramentum nondum sit super Altari, et locus pro Cruce apponenda, etiam in Missa repositionis, si iuxta praxim Ecclesiae tunc adhibeatur, semper idem *esse debet*, videlicet *inter sex candelabra;* unde minus nobis arridet mos, machinas taliter conficiendi, ut locus omnino non supersit pro sex principalibus candelabris, cum ceterum semper possibile sit, illa apponere, dum non praecipitur, ut sint machinae altiora, sicuti erui datur ex sequentibus verbis: *octo candelae in superiori parte;* 2°. Quia accipi potest haec locutio, hoc in sensu: sex candelae disponantur eodem in loco, ubi solet Crux collocari; quamvis alia de causa actu non

adsit. Et reipsa, dum praecipitur collocandum esse Thronum *in eminenti situ*, ibi, patet, esse nequeunt sex primaria candelabra.

Sed quod temporaneas et minus solemnes expositiones attinet, prout et alias, quae fiunt, pariter ad breve tempus, cum S. Pyxide, non ita urget ratio Crucis amovendae; etenim imprimis nullum id imponit praeceptum, et, etiam pro hoc casu, applicari valent, quae diximus n. (5), in fine, et n. (7).

(*Continuabitur*).

I. B. M. c. M.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Gallia.* **De duobus Decretis cohaerentibus sibi, quae cohaerere non videntur.** Decretum 3764 ad XI, et 3922 § V ad 1, non convenire videntur; quia illud Missam votivam permittit, officio votivo recitato non respondentem: hoc vero idem negat. Quaeritur proinde quomodo intelligenda veniant.

Resp. Super primo ex his Decretis nulla quaestio: certum est, S. R. C. permittere, ad normam Rubricarum, ut post recitatum officium votivum de SS. Sacramento dici valeat Missa votiva de Passione et viceversa.

Quod non intelligendum est tantummodo permissum ex quadam obiectorum identitate, sed praecise ratione ritus semiduplicis et officii votivi; quia in semiduplici Rubricae, et in officio votivo Decreta, ad earumdem Rubricarum normam Missam permittunt, ab officio recitato diffórmem.

Quaestio proinde versatur super altero recentiori Decreto, quod videtur negare facultatem, quam primum Decretum tribuit. En textualia verba: " Pariter die quo officium de Beata Virgine ex indulto recitatur, Missa votiva sumatur, quae respondeat officio. „ Ergo, infert cl. Consulens, alia Missa officio votivo non respondens, vi huiusce Decreti, prohibetur. At aliter se habere negotium certo tenendum est. Si id non esset, S. R. C. negaret quod Rubricae permittunt, hoc autem ab agendi ratione Sacri Tribunalis semper alienum fuit, eritque in posterum.

Itaque verba relata Decreti 3922 ita sunt accipienda, ut aliam Missam votivam nequaquam prohibeant in casu,

sed indicent tantum, quae Missa sumenda sit a Celebrante quando dicta Missa facienda sit secundum ordinem officii votivi recitati. Hoc autem S. R. C. iubet, quia eiusmodi Missa non est dicenda ad normam aliarum Missarum votivarum, quae sunt extra ordinem officii, sed diverso modo, cum 2ª scilicet ac 3ª Oratione, ut in semiduplici, cum hymno angelico, et cum Evangelio feriae, si occurrat, in fine. Dum aliae Missae votivae, quae cum officio recitato non conveniunt, plures habere possunt Orationes, ut in simplici, ad libitum Celebrantis: " Possunt etiam dici septem ad libitum ", ait Rubrica *(Tit. 9, n. 12)*: hymnus angelicus omittendus, quibusdam tantum, speciali de causa, exceptis casibus: denique cum Evangelio S. Ioannis in fine, etsi feria maior, illud habens proprium, occurreret. Ut hoc plenius pateat, animadvertendum est, Missas officio votivo respondentes, vere votivas non esse, sed tales appellari, quia votivo officio respondent. Eapropter aliarum, quae vere votivae sunt, extra scilicet omnem ordinem officii de die, non sequuntur normas generales, sed speciales pro ipsis assignatae fuerunt, quae festorum semiduplicium Missis, non vero Missis festorum simplicium assimilantur.

Eapropter qui officium votivum de Immaculata recitavit in Sabbato, Missam votivam de S. Ioseph facere non impeditur, sicut vicissim, qui recitavit officium votivum S. Ioseph, celebrare potest votivam Missam de Immaculata etc. etc. At, si haec Missa respondeat officio, normae sequendae erunt, ut in festis semiduplicibus, pro Orationibus, *Gloria in excelsis* dicendo, ut in festivis, et Evangelio in fine, proprio feriae occurrentis, si adsit. Si vero Missa officio non respondeat, alias consuetas normas fas est sequi, quae pro Missis vere votivis statutae sunt.

II. *E Sancto Michaele.* **De intelligentia Decreti 3041.** Quaeritur, num Decretum 3041 applicari possit vel debeat universis Regularibus proprium Calendarium habentibus?

Resp. Plura, super dicto Decreto innixus, adm. Rev. Consulens, nobis dubia proponit, quae vix consistere possunt, si idem Decretum recte intelligatur. Eapropter dubiorum, quae nobis fuere proposita, expositione relicta, quibus tamen breviori calamo respondebimus, ad illius Decreti intelligentiam statim devenimus. Observandum itaque, PP. Barnabitas, vi Constitutionum suarum non frui Calendario proprio; sed ubicumque degant, iis sequendum est Calendarium loci. Haec ratio Decreti **3041**, eiusque dispositionum: quae proinde applicari nec possunt nec debent aliis Regularibus, proprio gaudentibus Calendario. Eapropter:

a) si officium PP. Barnabitis concessum, etiam in dioecesi, qua morantur, recolitur, cum proprio non gaudeant Calendario, die, qua illud in Dioecesi celebratur, et ipsis celebrandum erit: hoc primi dubii et relativae responsionis obiectum. Et ratio patet: quia secus dicti Patres, dum vi Constitutionum tenentur sequi Calendarium loci, ex supradictae praxis oppositione paulatim proprium sibi efformarent Calendarium a Dioecesano prorsus diversum, contra Constitutiones. Inferes, si festum Apparitionis dictis Clericis concessum sit, vel explicite vel implicite, pro die 11 Februarii, et in dioecesi qua morantur, alia die recolatur, in hac ipsi illud celebrare debere, et non die 11ª. Nec valet in oppositum ratio diei propriae huiusce festi, quae 11 Februarii est, quia Calendarium loci sequi ii Clerici debent, in quo aliud festum die 11ª certe recolent, quod aliqua de causa liturgica sit superius.

Nihilominus animadvertendum, huiusmodi generale principium nullo modo debere aut posse applicari ad festa patronalia, uti S. Fundatoris Ordinis et Tituli Ecclesiae propriae. Absurdum namque esset ea festa eádem die eodemque sub ritu celebrare, quibus in loci Calendario recoluntur, cum ex universali lege die propria, et solemniori sub ritu fieri debeant, ulla sine dependentia a Calendario loci.

Quinimo idem, ni fallimur, agendum esset, si iidem Clerici festa aliqua propria possideant recolenda, seu aliquos Sanctos ad Ordinem pertinentes, maxime si ritu classico gaudeant; videtur enim, sicuti quoad ritum, ita quoad diem, non posse eos loci Calendario inhaerere. Quod ritum attinet non esse dubium mox videbimus: quod attinet vero diem idem agendum credimus, quia talia festa sunt omnino propria, et die propria celebrari omnino convenit, ut loci Calendarium nequeant sequi; hinc et in officio ipso, quod vel integre vel partialiter est proprium, a loci Calendario recedere omnino debent.

b) Si officium aliquod, tam PP. Barnabitis, quam Dioecesi, qua morantur, concessum sit, sub diverso tamen ritu; dicti Patres idem officium celebrare debent ritu ipsis concesso, si altior sit: vel ritu Dioecesis, si hic sit altior. Quia in prima hypothesi, futile maneret privilegium, quo ditati sunt, si altiori ritu non possent uti; in altera hypothesi altiori quoque ritu debent uti, quia sequi ipsi debent Calendarium loci. Fatendum autem, eos, quod eiusmodi ritum festi attinet, aliquantulum e loci Calendario recedere in prima hypothesi; sed quid ad nos? Videant ipsi quare id petierint. Aliunde, gravis esse potest causa, puta festum proprium, quod superiorem ritum in toto Ordine exigat.

c) Si plures sint in loco, quo Clerici S. Pauli Ap. morantur, Sancti Patroni aeque principales, et singuli, diversa die, sub ritu dup. I cl. cum octava recolantur, ad has octavas iidem Clerici tenentur, nec plus nec minus, sicuti clerus saecularis. Idem semper autem est principium, quia nempe loci Calendarium sequi debent. Cum tamen aeque certum sit ex Decretis, Regulares ad octavas, quas Presbyteri saeculares agunt, non teneri; quia ipsi proprium, non vero dioecesanum Calendarium sequuntur.

d) Si alia festa in Ecclesia universali sub ritu inferiori celebrantur, et in Ecclesia loci, ubi morantur PP. Barna-

bitae, celebrantur ex indulto ritu superiori, ad hunc tenentur; quia hoc Calendarium, et non Ecclesiae universalis sequi debent vi Constitutionum, ut pluries dictum est. Idque valet quacumque sit causa, ex qua ritu superiori talia festa localia fruantur.

c) Verbo, Clerici Regulares S. Pauli Ap. tenentur ad omnia festa, sub eodemque ritu, quae in Dioecesi ubi degunt celebrantur, si advertas tamen quod sub l. *b*) monuimus.

Caveas tamen, ne quae hactenus discussimus, ad Regulares alios applices, quibus Calendarium proprium concessum est; cum hi, exceptis Patrono loci, Dedicatione et Titulo Cathedralis Ecclesiae, et ad summum iis festis, quae cum feriatione in loco celebrari possent, ad Calendarium dioecesanum attendere nec possint nec debeant.

III. *E Florentiola in Thuscia.* **De Titulo ac Dedicatione Oratorii publici eiusque iuribus.** Oratorium hic extat publicum et solemniter consecratum, a Rectore dependens Ecclesiae parochialis: qui saepe eo utitur pro parochialibus functionibus. Sacramentum in illo asservatur, quod cuidam hospitali annexum, et Cappellanus paroeciae est illius Oratorii custos, qui praeter dies festos, in eo celebrat quoties potest. Pro festo Dedicationis ab Episcopo statuta fuit, uti asserunt qui dicti Oratorii gaudent patronatu, in actu consecrationis Dominica IV Septembris, quamvis aliud eadem Dominica votivum festum celebretur. Quaeritur:

1. Annuntiatio, titulus dicti Oratorii, recolenda ne cum octava? In hypothesi affirmativa, an sola cum Missa, an etiam cum officio? An a Cappellano tantum, an tantum a Parocho, an ab utroque, an ab aliis quoque paroeciae Sacerdotibus?

2. Anniversarium Dedicationis dicti Oratorii celebrandum ne in Dominica IV Sept. uti hucusque factum est ab anno 1882, quo consecratum fuit? In hypothesi affirmativa, celebrandum ne cum octava? An a Capellano tantum, an

tantum a Parocho, an ab utroque, an etiam ab aliis paroeciae Sacerdotibus? Missae de Dedicatione erunt ne celebrandae in solo Cratorio, an et in Ecclesia paroeciae?

Resp. 1. Notum ponimus, quidquid anteacta aetate dictum fuerit, recens Decretum Gen. n. **4025** statuens super hoc negotio: " In quibus Ecclesiis *publicisque Oratoriis*, vel *consecratis*, vel saltem solemniter benedictis, relativum *Titularis festum* quotannis esse *recolendum* sub ritu duplici primae classis *cum octava* (n. I) ". Atqui de eiusmodi, in casu, Oratorio agitur, nempe consecrato; ergo certa exploratague est ad dubium *a*) affirmativa responsio.

Responsio ad reliqua, in eodem Dubio quaesita, descendet ab existentia veri Rectoris et Cleri praefati Oratorii; videndum proinde, num datur et quis sit, si detur, dictus Rector et Clerus. Ille certe Rector et Clerus merito alicuius Ecclesiae dici potest, consequenter et Oratorii publici, qui eidem stricte adscriptus est, ut ad dictam Ecclesiam pertineat. Super quo haec statuit, et iure, cl. De Herdt: " Stricte adscripti sunt, qui alicui Ecclesiae adscripti sunt, ad sacramenta ministranda, docendum populum, officia Ecclesiae celebranda etc., a legitima et competente Auctoritate, cuius est adscribere; qualis Auctoritas... est Ordinarius loci: adeo ut vi adscriptionis ipse adscriptus in illa Ecclesia officia iniuncta peragere debeat, et ipsi liberum non sit propria voluntate Ecclesiam deserere. Tales ergo censendi sunt parochus, viceparochus, deservitor, coadiutor, sacrista seu custos aliique a legitima auctoritate Ecclesiae adscripti, ut in ea Sacramenta quaedam ministrent, aut alias functiones constanter peragant (*Prax. Lit., Tom. II, n. 227*) ".

Nunc videndum an praedicta comprobentur in factispecie, de qua agimus, videlicet: *a*) Cappellanus Oratorii est ne *verus* Rector, Superior, Custos illius? In expositione dubii dicitur quidem Custos; at cum sit Cappellanus paroeciae, iure inquirimus an Custodis officium peragat iure pro-

prio sibi collato ab Episcopo, an tantum uti Cappellanus paroeciae, et iure Parochi, qui ad illud munus pro suo commodo illum destinavit. Si primum, functiones perageret uti verus dominus, ut uni Episcopo rationem reddere teneretur: si alterum, famulus esset Parochi, qui aliquas illi functiones committeret pro suo arbitrio, aliquas pro sibi placito ipse exerceret, Parochus, uti dominus, Episcopo ipse rationem reddens, non Cappellanus. In prima hypothesi Rector Oratorii tenetur ad festum Titularis: in altera hypothesi non tenetur. In illa hypothesi non teneretur Parochus: in ista, Parochus teneretur, non Cappellanus. Alteram hypothesim, ni fallimur, veram credimus, non primam; quia Oratorium a Parocho dependet, in ipso pro suo commodo functiones, quas vult, libere exercet, etsi parochiales, et Oratorium ab eo dedendet, ut iure concludi queat, et ab eo dependere, non ab Episcopo, ipsum Custodem. Ergo verus Custos dicti Oratorii Parochus est, non Cappellanus, qui a Parochi nutu potius dependere videtur, et agere, uti ad aliquas functiones ex arbitrio veri Custodis, et quasi toties quoties, delegatus. Si aliter res se habent, oramus ut Rev. Consulens referat: aliud interim concludere nobis non licet.

Excluso Cappellano, consequens est, ut omnes alii Sacerdotes Paroeciae a fortiori excludantur a dicto recolendo festo. Nam, si dicto Oratorio adscriptus dici nequit Cappellanus, qui aliquas in illo functiones agit, multo minus, imo nullo pacto adscripti dicendi sunt eidem alii Sacerdotes, in dicto Oratorio nullum munus exercentes. Quinimo, ut nobis refertur, dicti Sacerdotes Capitulum constituunt Paroeciae, quae Collegiata est; quomodo ergo ad dictum Oratorium pertinere possent, quod a solo Parocho dependet, et in quo pro suo libito functiones parochiales peragit?

Nunc videamus, an festum Dedicationis in dicto Oratorio cum sola Missa celebrari debeat, an et cum integro officio. Per se loquendo, festum comprehendit non solum

Missam, sed officium; et hic, non alius, est sensus verborum quae supra retulimus, Generalis Decreti. Nec tantum se extendit, per se saltem, Decretum ad officium et Missam in die festo, sed per totam octavam. At in facti-specie inquirendum nobis est, num Parochus sit nec ne alii Ecclesiae addictus, cui chorale officium sit adnexum. Si negative respondeas, credimus Parochum teneri ad officium et Missam in die festo, et per totam octavam. Titulus enim Oratorii publici ius habet ut liturgice recolatur, hoc importat officium integrum per integram octavam. Si affirmative respondeas, tunc arbitramur, sufficere ut tantum die festo officium et Missam celebret in dicto Oratorio. Etenim officium chorale, ad quod tenetur, primum permittit, non alterum: quia dies festus maximae est celebritatis, ut iure debeat chorale officium relinqui pro illo agendo, sed non sunt eiusmodi alii dies, in quibus proinde chorale officium recitandum erit.

Resp. 2. Quemadmodum fere omnes petitiones, ita et responsiones super hoc altero dubio eaedem sunt; videlicet: Dedicatio celebrari debet a Parocho cum officio et Missa sub ritu dup. et octava, eodem prorsus modo ac superius de Titulo dictum est, et a nullo alio ex loci Sacerdotibus. Sicut autem Titulus, ita et Dedicatio in solo Oratorio consecrato celebrari debet et potest, cum illud solum respiciat.

Quod vero spectat Dedicationis diem, quo illius est celebrandum anniversarium, nihil certi respondere possumus. Unum tantum animadvertimus. Si eiusmodi Anniversarium ab anno 1882 semper Dominica IV Sept. celebratum est usque in praesens, certa adest praesumptio, patronatu fruentes non mentiri, sed vera narrare. Secus, qui fieri potest, ut tali Dominica Dedicationis Anniversarium ex mero arbitrio celebrari coeptum fuerit? Quaenam existere causa potuit, ut narratio eiusmodi adinveniretur ex integro? Quinimo patroni id narrarent contra seipsos, quippe qui voti-

vum fortasse festum maiori, ni fallimur, studio celebrare cupiunt. Aliunde nullum de alia die documentum reperitur. Ergo censemus, eorum optime testimonio adhaerendum esse, cum nihil adduci possit in contrarium.

III. *E Gallia.* **De Oratione** *Deus, indulgentiarum,* **an mutari in Anniversario possit.** "Ephemerides" sustinuerunt, Orationem *Deus, indulgentiarum* in anniversario in aliam magis propriam posse mutari, sed verum videtur oppositum. *a)* Non enim defendi potest, Rubricam ad num. 1 et 2 in Missa ad Orationes diversas appositam applicari posse ad num. 10. *b)* Rubricam praefatam inducere obligationem omnes auctores dicunt; quare ergo Ephemerides ad alios numeros illam applicantes de *posse* tantum loquuntur? *c)* Si in hoc casu Rubrica non est praeceptiva, neque in illo praeceptiva erit: quod nemo admittit. Ergo minus recta est Ephemeridum Liturgicarum sententia.

Resp. Locus a Rev. Consulente citatus Ephemeridum est pag. 614 an. 1900: *Quod denique etc.* Ibi narravimus, Guyetum admittere mutationem Orationis *Deus, indulgentiarum* in aliam *Deus, qui inter Apostolicos*, pro anniversario tantum Sacerdotum: item pro anniversario patris et matris posse sumi a Sacerdote illorum nato *Deus, qui nos patrem et matrem.* Unde intulimus, nobis persuadere non posse, quare, si illae duae mutari queant in aliam, reliquae mutari in alias non sit licitum. Conclusimus nihilominus: Quidquid sit, certum est *Deus, indulgentiarum* in Orationem pro patre et matre iure posse mutari. Sed cl. Consulens nullo pacto assequi potest, cur alia assignetur Oratio ac *Deus, indulgentiarum,* cum non videatur agi de quaestione Calendaristarum iudicio relicta. Aut enim Missa vocatur anniversaria, etiam late, aut non: si primum, quod nemo ambigit, Orationem Missae anniversariae habeat necesse est. Ita cl. Dissidens.

Sed contra est imprimis Guyeti et Gavanti auctoritas,

saltem pro Oratione, *Deus, indulgentiarum* in aliquam nempe aliam mutanda: quae omnino negligi non debet, et maxime quae est Gavanti, qui in Rubricarum Missalis interpretatione summa cum reverentia est nominandus. Praeterea Ephemerides non id ex professo pertractarunt, ut tanquam tenendam sententiam docuerunt; sed tantum difficile iis visum est admittere unam et alteram mutari posse in aliam, non reliquas cum tamen rem in incerto reliquerint, uti per verba *Quidquid sit* satis superque ostenderunt.

His praemissis, rem ab intrinseco perpendamus. Ait itaque cl. Dissidens, Rubricam positam n. 1 et 2 non posse applicari ad num. 10. Quare? Quia haec Oratio respicit eos tantum defunctos, *qui in coemeterio requiescunt.*

Porro, unicuique patet de iis fieri non posse anniversarium, quippe qui diversa die defuncti sunt. Id credimus velle dicere cl. Dissidentem, cum concludat: *Quid autem sit anniversarium eorum, qui in coemeterio requiescunt, non plane intelligitur.* Verum notamus hic agi etiam de anniversario late sumpto, seu quod individua respicit alicuius Communitatis. Num requiritur, ut omnes et singuli eadem die sint mortui, ut eiusmodi anniversarium fiat? Romae habemus coemeterium Canonicorum ad aliquod Capitulum pertinentium, ab aliis coemeteriis separatum: nonne pro his fieri anniversarium solet, potest, debet? Ergo Rubrica num. 1 et 2 applicari ex hoc capite potest etiam ad num. 10: consequenter non satis validum videtur primum momentum, nostrae videndi rationi oppositum.

Obiicitur secundo, Rubricam illam ab omnibus auctoribus praeceptivam dici; ergo eiusmodi pariter ea dicenda erit, si ad alias quascumque Orationes diversas, illic in Missali notatas, applicetur: quod Ephemerides non admiserunt, cum tantum de *posse* sint loquutae. Sed animadvertimus, non esse inficiandum, Ephemerides dixisse tantum, mutationem fieri posse; at, quin tempus teramus in his requi-

rendis auctoribus, aliquid nobis liceat a cl. Dissidente postulare: 1. Quid sibi vult, quod Rubrica ad primam Orationem habet: " In die depositionis et anniversario Summi Pontificis *dicitur* prima Missa etc. „: Rubrica posita ad Orationem alteram habet: " Pro defuncto Episcopo *dicitur* prima Missa etc. „ in fine Postcommunionis dictae Missae Rubrica ait: " Pro defuncto Sacerdote *dicuntur* eaedem Orationes, sed ubi dicitur *pontificali, dicatur sacerdotali*, et pro Pontificis *dicatur* Sacerdotis „: Rubrica statim sequens legit: " si fuerint plures, *dicatur* ut supra etc. „ atque ita aliae Rubricae se exprimunt? Diversus se exprimendi modus Rubricarum nihil ne omnino significat? Quid. cl. Dissidens in contrarium obiiceret, si quis ex Sacerdotibus pro secunda Oratione ex diversis quartam diceret? Si pro Episcopo loco secundae diceret tertiam? Si pro undecima duodecimam recitaret? Haec, ni fallimur, aliquid innuunt, ut ad normam Rubricae post Missam ex quotidianis positam, aliquantula libertas Sacerdotibus relicta fuerit, qua uti debent profecto ut Oratio, ex multis quae illic prostant, aptior dicatur, seu quae magis defuncto vel defunctis, eorumque qualitati conveniat. Hoc quoque significat facta antiquitus libertas aliam Orationem secundae sufficiendi in Missis quotidianis, et ius praesens primam pro determinato defuncto seligendi ad placitum Celebrantis, quae magis illi congruat etc. Haec, oramus, perpendat cl. Dissidens, et fortasse a severitate aliquam libertatem negandi, in casu, Sacerdotibus facile recedet.

Fortasse aliam in anniversaria Missa non admittit Orationem cl. Dissidens, quia explicite in illa nominatur anniversarium. Verum haec ratio vim nullam habet, cum neque in Oratione pro anniversario Pontificis, neque in Oratione pro anniversario Sacerdotis, neque pro anniversario patris et matris, vel alterutrius, ad Celebrantem pertinentis dictum verbum reperitur. Nil ergo officit, si in alia quoque Oratione dictum verbum non habeatur: hoc est aliquid ma-

terialis, sed quod est formale curandum est, nempe ut Oratio magis defuncto vel defunctis congruat.

IV. *E Lingone.* **De discrepantia nec ne admittenda inter Calendarium civitatis Episcopalis et Dioecesis.** S. Desiderius, Patronus Lingonensis, Anno 1901 die 23 Maii recolebatur in urbe; sed ob occurrentiam diei octavae Ascensionis, idem Sanctus, qui gaudet tantum ritu dupl. mai. in calendario dioecesano, translatus est pro aliis Ecclesiis ad diem 3 Iunii. Quodnam officium agere debebat clerus civitatis die 3 Iunii? An officium feriae, an S. Bedae, e 27 Maii translati, qui in dioecesi celebrabatur tantum 15 Iunii, quae est prima dies libera? Et si affirmative ad secundum, oportebat ne die 15 facere de S. Basilio, e 14 Iunii translato, qui in dioecesi celebrabatur tantum 17, quae est prima dies libera, et tunc 17 agere de feria, quando in dioecesi fit de S. Basilio? Nonne melius esset agere 3 Iunii de feria, et deinceps recitare officia ut in dioecesi, potiusquam mutare S. Bedam et S. Basilium in aliis diebus, quae non concordant amplius cum diebus calendarii dioecesani? Et an possint applicari decreta n. 2378 ad 4, et 2494 ad 1, ad officia accidentaliter translata in calendario dioecesano, licet directe respiciant officia perpetuo translata? Quid iuris?

Resp. Ut merito autumat cl. Consulens, agi debet non de feria, sed de S. Beda e die 27 Maii in diem 3 Iunii reposito. Ratio cl. Consulenti patet, quia vi legum translationis officium sua die impeditum prima die sequenti libera, quae in casu est 3 Iunii, celebrandum est. At nimia inde oritur discrepantia inter Calendarium urbis et dioecesis, uti ex expositione dubii constat. Ex. gr. S. Beda, qui in urbe, die 3 Iunii recoleretur, in aliis dioecesis Ecclesiis celebrabitur die 15 dicti mensis, haec namque prima libera est: hac eádem die 15 Iunii, qua fit in dioecesi de S. Beda, in urbe fiet de S. Basilio, e die 14 Iunii translato: die 17, quae libera est pro urbe, fiet de

feria, dum in dioecesi de S. Basilio debet fieri. Ut hae vitentur inordinationes, quaeritur an non sit consultius agere de feria die 3 Iunii, tunc enim reliquis diebus in officiis agendis urbs et dioecesis perfecte convenirent.

Reponimus: etsi allata ratio aliqua consideratione, prima fronte, digna videatur, nihilominus in legibus *de translatione* nullius est ponderis; nam omnino contradicit et litterae et spiritui Rubricarum.

Suppone quaeso casum propositum, non mense Iunio sed Decembri evenire, ita ut in fine anni habeatur tantum dies 23 Decembris vacua pro officiorum translatione, et in urbe Lingonensi officium tantum S. Bedae sit trasferendum, dum in dioecesi sint transferenda et officium S. Bedae et illud S. Desiderii. Num liceret forsan dicta die 23 agi de feria in civitate, et de S. Desiderio in dioecesi, ut uniformitas habeatur in commemoratione S. Bedae, cui locus eo anno non suppetit? Minime gentium; in urbe enim defraudaretur S. Beda iure translationis, ergo . . .

Aliunde, ob festa localia, inter Ecclesiarum Calendaria semper aliqua discrepantia necessario existit; et Rubricae aut Decreta potestatem non faciunt recedendi a notis translationis legibus, ut maior inter Calendaria eiusdem Dioecesis uniformitas obtineatur.

Quod citata duo Decreta attinet, ea applicari ad casum nequeunt: quia utrumque de Calendario perpetuo agit. Primum enim respicit hypothesim de novo aliquo officio, quod inseri debeat in Calendario perpetuo, unde translatio alterius officii oritur e die propria ad aliam assignandam; et quaerit utrum pro ea facienda assignatione officia alia iam antea assignata removeri debeant, ut ordo temporis in translatione habeatur. Responsio est autem, id necessarium non esse, nisi nova Calendarii constructio ex integro sit facienda. Alterum Decretum, ob occursum Patronorum, idem quaerit, idemque dat responsum, uti cl. Consulenti, si bene quidem negotium

perpendat, abunde patebit. Itaque, ut concludamus, vi legum translationis maior Calendariorum conformitas negligenda est, et unumquodque officium die sua impeditum in primam sequentem diem liberam transferri debet.

Ratio est, quia in casu habentur duo distincta Calendaria perpetua; Calendarium urbis, et calendarium dioecesis. In unoquoque ergo, separatim ordinandae erunt translationes iuxta Rubricas, in Calendariis pro aliquo anno accomodatis.

Sic ex. gr. Basilicae Lateranensis, Vaticana ac Liberiana pluresque aliae Ecclesiae romanae habent commune Calendarium pro Urbe; et nihilominus unaquaeque proprium ordinat Calendarium suum ob festa specialia, et translationes inscribit in eo iuxta rubricas nullo habito respectu ad discrepantiam inter praedicta Calendaria et Calendarium cleri romani. A pari eodem modo agendum erit in urbe et dioecesi Lingonensi, hoc est: Ecclesia Lingonensis efformare debet peculiare suum Calendarium super Calendario dioecesis, in eoque, ulla sine dependentia a dioecesano, specialia festa ac translationes inscribere, inter unum et alterum Calendarium dircrepantias negligens.

Neque allata paritas infirmetur, quia ex praefatis superius Basilicis unaquaeque habet suum Calendarium, dum in dioecesi Lingonensi unum fortasse redigitur Calendarium pro urbe et dioecesi. Etenim haec ratio nil habet ponderis; quia si unum tantum Calendarium fiat, duobus et etiam pluribus aequivalere debet, quatenus pro quavis Ecclesia particulari inscribenda sunt festa particularia et relativae translationes, nulla ad Calendarii dioecesani concordantiam ratione habita.

Et quoniam de hac agimus translatorum ordinatione in Calendariis, in mentem lectorum revocamus solutionem eiusdem fere quaestionis, quae legitur in numero harum Ephemeridum 8 et 9 elapsi anni 1901. Licet non sit subsigna-

tus, attamen dictae solutionis est auctor cl. noster adlaborator doctor Petrus Piacenza; et satis gaudemus iisdem nos rationibus hac in re fuisse usos. Cum autem in fine illius solutionis apposita nota quaedam *in contrarium* fuerit, hic operis pretium duximus, illationes *refellere*, quae in eadem leguntur.

Adnotator, fatendum est, non tantum exhibitam a cl. Piacenza solutionem admittit, sed et fatetur eam *adamussimum respondere*: 1. *Legibus liturgicis*, 2. *Decretis S. R. C.* 3. *Universali praxi*. Quinimo addit etiam, aliter fieri non posse ab ordinatoribus Calendariorum, sive dioeceseon sive Communitatum, qui variationes pro singulis Ecclesiis seu coenobiis inserere satagunt.

Dolendum tamen est, quod postea huius declarationis suae robur plane infirmat, scribens: *Attamen negandum non est communem sententiam, parvam aliquam non afferre difficultatem, et incommodum quoddam. Pluries enim accidit ut permulta amovenda sint officia, iam in diocesano Calendario translata ob unum tantum, quod in particulari Ecclesia debuit anteponi. Perpauci insuper inveniuntur ..... qui idonei sint ad tales in calendario rite inducendas variationes.*

Aliis verbis, tribus momentis, ex quibus doctrina doct. Piacenza et nostra indubie admittenda est, videlicet: 1. Rubricis: 2. S. R. C. decretis, et 3. praxi universali, tria opponit inconvenientia, ex quibus ab illa recedendum proponit, nempe 1. *difficultatem* variationes in Calendariis inducendi, 2. *incommodum*, 3 *deficientiam*, ut plurimum, *peritorum*. Verum circa *difficultatem*, non credimus esse tantam, ut nova invocari debeat in casu dispositio S. R. C. Etenim hodie difficultas, si qua esset, valde imminuta est, ob traslationis duplicium et semiduplicium abrogationem.

Quod autem attinet momentum alterum, reponimus, pro doctrina refellenda, non esse plausu dignum ad *incommoda* recurrere. Quid enim est hoc? sententia quae probatur, ipso

adversario nostro fatente, ex Rubricis, ex decretis, et ex praxi universali, sequenda non erit, ob *incommodum* quod sufferunt redactores Calendarii, variationes scilicet inducendi? Hoc *novum* prorsus est, et fortasse *inauditum*. Quod tandem tertium momentum spectat etsi forsan non multi peritissimi in constructione Calendariorum habeantur, nihilominus *quid nimis* est admittere ecclesiasticos viros adeo imperitos, ut unum vel aliud officium proprium in calendario dioecesano inducere nesciant.

Sed hoc dato, et non in omnibus concesso, incommodum istud vim non habet ad *infirmandam* conclusionem doct. Piacenza et nostram, uti patet. Ceterum videant Ecclesiae viri, ut muneri proprio facere satis addiscant.

Idem adnotator noster suum sentiendi modum, in hac re, sufficere contendit, ex decretis N. 2378, 2494, et 3919, dicens: *quare ergo principium quod per decreta supracitata statuitur pro repositione perpetua, ad accidentales translationes applicari non potest?* Nullius negotii responsio est; quia, prout fatetur adnotator, *Rubricae, decreta praxis universalis* id prohibent; ergo? . . .

Haec sententia d. Piacenza et nostra, et proinde lectores nostros deprecamur ut notam, quae legitur pag. 535-536, in harum Ephemeridum n. 8 et 9 anni 1901, quasi non *positam putent*.

Quod si mens adnotatori fuit, non adversandi sententiam nostram, uti credimus, sed tantum exhibendi faciliorem modum pro variationibus inducendis in Calendariis particularibus; licet modus propositus minime nobis arrideat, adnotatorem ipsum inter sententiae nostrae fautores laeti salutamus.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Rucupis*, 1. Cum dicendum est officium de aliqua die infra octavam, lectiones II et III Nocturni esse debent de die relativo infra ipsam octavam, si adsint. Rubrica dicit: " Lectiones II et III Noct. dicuntur quae infra octavam positae sunt (*Tit.. VII, n. 4*) ". Non ergo ratio suppetit, ut pro officio de die IV sumantur Lectiones e die II, eoque magis, quod in casu proposito de nulla die infra octavam, praeter IV, fieri potest officium; ergo relativus ordo de Lectionibus occurrentibus tenendus.

2. Festum Maternitatis iure in Calendario omittitur eo anno, dummodo non Nationi sed dioecesi sit concessum, cum particulare sit et Dominicae affixum. Quod statutum fuit pro festo S. Sepulcri Regno Poloniae concesso (*Decr.* **2417** *ad 4*) uti exceptio habendum legi derogans (**2319** *alia dubia*, 8).

3. Sponsi tempore Missae nuptialis separato quidem congruentiorique loco esse possunt, nec tam longe ab Altari; sed in presbyterio nequaquam, nisi necessitas loci id imponat, presbyterium enim pro laicis non est. Ad Altare nihilominus propius accedent, quando aliquid super ipsis agendum sit a Celebrante, vel peculiares recitandae sunt preces.

4. In conventibus aut domibus Religiosarum mulierum, cum pervenerit Sacerdos ad Altare, post communionem infirmarum, dicet *Panem de coelo* etc. cum reliquis, voce intelligibili, cum ex Rubrica Ritualis certum sit, dictas preces esse non debere secretas. Sit autem plus minusve vox elata, nihil refert ad observantiam Rubricae. In casu autem optime

publicare Indulgentias poterit; quia sicut in populo, ita in Religiosis Familiis esse possunt personae illas nescientes.

5. Cum Alba lavanda est, et denticulatum textile disiungitur ab ea, non amittit suam substantialem formam, quamvis ad genua usque, vel supra, illud protendatur. Consequenter Alba benedicta remanet, quando dictum textile denticulatum iterum illi nectitur, cum istud ad ornamenta pertineat.

II. *Pro S. Michaele.* 1. Quando aliquod agitur anniversarium Defunctorum, sit anticipatum, sit posticipatum, Missa quoque de requie fieri potest de eodem anniversario cum notis privilegiis, dummodo eam ritus permittat.

2. Missa, si quae assignari debeat, pro anniversariis late sumptis, est de anniversario, seu quae tertio loco in Missali notatur. Ratio simplex est, quia eiusmodi Missa ad anniversarium pertinet, licet late sumptum; ergo de anniversario sit. Sit autem solemnis, sit cantata, sit etiam lecta, cum eam ritus permittit, eadem semper ratio vera comprobatur. Haec, sicut Rev. Consulentis, ita et nostra videndi ratio.

III. *Pro Florentiola in Thuscia.* 1. Festum Decollationis S. Ioannis Baptistae, Praecursoris Domini, est secundarium, uti constat ex Catalogo festorum Breviariis recentioribus praemisso.

2. Ubi S. Ioannes Baptista est titularis, sicut in festo Nativitatis, habere debet Symbolum in Missa, ita et in festo secundario Decollationis. — V. Solutionem quaestionis cl. Academiae Liturgicae Romanae Censoris, an. 1897, pag. 664 et seq.

IV. *Pro Gallia.* Consuetudo, quam reprobat S. R. C. per Decreta **3535** et **3579,** non spectat osculum paramentorum in Missis defunctorum ex parte Celebrantis, sed ex parte fidelium. Rubrica de iis, quae omittenda sunt in defunctorum Missis, non dicit osculum amictus, stolae et manipuli

esse omittendum, quando ea Sacerdos induit vel exuit; ergo ea osculanda sunt.

V. *Pro Lingone.* Ut Patronus possit praeferri Dedicationi, concessum est ratione feriationis, ad quam ille, non ista, ius habet; sed Dedicatio utpote festum Domini, Patrono praeferenda est semper. Ergo infra duas octavas, Dedicationis et S. Martini, semper de illa agendum erit.

2. Festa cum feriatione, ceteris tamen paribus, habere, in concursu cum festis ea non gaudentibus, praecedentiam, nequeunt *per se saltem,* ex Decreto **2218;** sed utrum praecedentiam in occurrentia habeant, id ex nullo Decreto constat. Ergo legi communi standum esse videretur, seu Ruralibus generalibus de Translatione. Nihilominus, arguendo saltem, dicendum est, quod in occurrentia, festum feriatum habet revera praeferentiam super non feriatum. S. R. C. suo decreto 28 Iunii 1889 (*Ephem. Liturg.* anni 1889 p. 442), edixit: *Festum Sacr. Cordis Iesu ritu duplicis 1 classis sine octava celebratur, absque praecepto audiendi sacrum.... et nonnisi solemnitatibus ritus duplicis 1 classis universalis Ecclesiae, nempe Nativitatis S. Ioannis Bapt. ac Ss. Ap. Petri et Pauli, nec non festis particularibus eiusdem ritus, seu Dedicationis ac Titularis Ecclesiae locique Patroni, locum cedat quando haec sub duplici praecepto fiant* (1).

Hoc idem praescripsit in alio suo decreto 27 Iunii 1893, N. 3807, quoad translationem festorum Annunciationis B. M. V., S. Ioseph, et S. Ioannis Baptistae, in quo decreto sequens exceptio legitur: *excepto casu quod festum Annunciationis B. M. V. transferri debeat, iuxta Rubricam cum integra solemnitate et feriatione.*

Aliis verbis, Annunciatio, quando transfertur in feriam 2.am post Dominicam Passionis vel post Dominicam in Al-

(1) In nova colletione hoc decretum invenitur sub N. 3712, sed emendatum est, legitur enim: *et nonnisi solemnitatibus primariis eiusdem ritus occurrentibus locum cedat.*

bis, si celebranda sit sine feriatione tunc cedit locum occurrenti alio duplici 1 classis primario; si vero celebratur cum feriatione, quando scilicet dies 25 Martii sit feria VI in Parasceve, vel Sabbatum Sanctum, tunc ob feriationem, qua celebratur Annunciatio in casu, haec quibuscumque duplicibus 1 classis etiam primariis praefertur.

Item alio suo decreto N. 3881 S. R. C. declaravit Dedicationem Ecclesiae esse festum Domini, *permitti nihilominus ut Patroni Festum, cuiuscumque sit personalis dignitatis, ratione feriationis,* illi praeferatur.

Ergo *feriatio* aliquid addit festivitatibus, non solum, sed in *occurrentia* festum cum feriatione, licet minus dignum, praefertur dignori.

Hoc autem rationabilissima ex causa; populus enim qui ad ecclesiam suam convenit missam auditurus, suum peculiarem patronum in casu recolere intendit; et prorsus incongruum esset, ut aliud obiectum, celebratio officii et missae haberet.

Itaque autumamus, quod semper in occurrentia, festum feriatum praeferrendum sit non feriato.

3. Missalia defunctorum recentiora Rubricam de Absolutione praesente cadavere, ni fallimur, habent ab antiquis mutatam. Hinc sacri Ministri, post Absolutionem in Sacrarium revertentes, dicere debent semper, die Commemorationis omnium defunctorum excepta, antiphonam *Si iniquitates*, et psalmum *De profundis*.

VI. *Pro Nola.* 1. Ephemerides num. 1, prox. praet., non docuerunt posse, sed imo non posse dici *Credo* in Missis votivis solemnibus, cum paramentis violaceis celebratis *(n. Ian. pag. 41)*.

2. Verba textualia, quae eodem in numero refert cl. Zema circa sepulturam ecclesiasticam *(pag. 68 et 69)*, ad litteram sumpta sunt ex *Apparatus Iuris Ecclesiastici*, loco ibidem citato. Hinc patet, rei substantiam esse e nota Epistola Pii

Pp. IX, sed non verba textualia, quae ad cl. Zitelli pertinent. Errorem hic opportune emendamus citationis: est Lib. II, cap., non 3, sed V.

VII. *Pro Budvicio Bohemorum.* Nullum dubium est, quod Dominica III Adventus, in quam incidit dies octava SS. Conceptionis Deiparae, uti anno praeterito, nec possit nec debeat considerari uti Dom. infra octavam, cum non sit eiusmodi. Orationes tamen dicendae sunt: 1. de Dominica; 2. de die octava; 3. omittitur ratione eiusdem octavae, sicut ex eadem ratione omittuntur preces ad Primam.

DE CERA APUM IN SACRIS FUNCTIONIBUS

RESPONSIO

ad animadversiones in contrarium.

Ephemerides Liturgicae, anno 1901, Mense Maio (*n. 6, pag. 379 et seq.*), Suffragium evulgarunt ex officio exaratum a R.mo Dom. C. Mancini P. C. M. et S. R. C. Consultore, super cera in sacra Liturgia. Mense Octobri quaedam prodiere animadversiones super dicto Suffragio, quod quidem laudant, sed et censura notant in quibusdam quaestionibus technicis, hoc est in ea parte, quae *materialis et secundaria* est, ait animadversionum Scriptor. Finis earum est, ut vel praecipiatur, vel saltem foveatur usus cereorum ex mera cera in Ecclesiis: dum Suffragium eo spectat ut adhiberi possit super altaribus, auctoritate favente, cera ex alia materia, dummodo cum notabili saltem quantitate cerae apum commixta.

Suffragium *a*) quaestionis statum limitat ad solas candelas super altaribus, cum extra illa, plures alias accendi posse in Ecclesiis citra controversiam, nunc saltem, ponatur. *b*) Candelas in antiquitate semper, satis probabiliter iudicat ex sola apum cera fuisse pro Ecclesiis, si a cerae nota, seu *lega*, abstrahas. *c*) Optaret ut, nota excepta, ex mera apum cera candelae fierent, ut materia extranea, cum cera apum mixta, quantitate saltem minor esset; imo toleraret, si merae cerae quantitas, alii cerae immixta, nisi maior, notabilis saltem esset. Plorat tamen, saepius esse mi-

nimam. et fortasse nullam. *d*) Demonstrat nihilominus, ex legibus liturgicis, candelas super altaribus accendendas nonnisi ex cera apum esse debere.

Haec quidem in summa, uti censet animadversionum Scriptor, primam constituunt Suffragii partem, quam in examen vocat, et aliquid in ea detegit erroris, quod technicum spectat. Hoc autem esset, ex Consultoris opinione, candelas in antiquitate non fuisse semper ex mera apum cera.

Iuvet nihilominus in contrarium animadvertere, animadversionum Scriptorem id supponere quod Suffragium non habet, et Consultor non dixit. Ille enim refert, in Suffragio exponi: *non ita probatum esse, ceram apum meram praeteritis temporibus fuisse adhibitam.* At ex opposito Suffragium exponit: *Ecclesiam, nisi ab incunabulis, indubie a remotiori antiquitate candelis ex ceram usam fuisse.* Quo ex testibus vetustioribus obiter demonstrato, Suffragium prosequitur: *Quae quidem candelae satis probabiliter ex apum cera tantum esse poterant.* Quod si notam quamdam, *lega* videlicet, admisit, huic neque ipsemet animadversionum Scriptor contradicit, neque per eam apum cera substantialiter inficitur. *quemadmodum*, art. 8. notat, *aliquantulum cupri argento commisceri permittitur.* Etenim tam parva *quantitas certo non impediebat, quin cera mera reputaretur*, ubi idem A. S. fatetur. Error ergo iste detectus non est in Suffragio, neque in mente Consultoris, sed tantum in *animadversiones* relatus; nec mirum, si A. S. illum facile refellit.

Alter in Suffragio detectus ab A. S. error in eo consistit, quod argumentandum lectoribus relinquat, ceram apum ex commixtione materiae extraneae albedinem acquirere: dum A. S. notat, ceram apum Solis radiis expositam albam fieri. Quo posito, quaerere nobis liceat: Tantae ne molis res erat, ut A. S. praedicaret: *Supra ostensum est quomodo erraverit Rev. Consultor in aliquibus punctis magni momenti in iis*

quae ad traditionem pertinent? Et quaenam eiusmodi puncta sunt, nisi unum, primo depulso errore, ut superius demonstratum est? Et unde eruitur *magnum* hoc *momentum*, cum seu re in se spectata, seu materie, de qua agitur, perpensa, nonnisi nauci faciendus alter ex erroribus positus?

Sed ad cardinem quaestionis deveniendum. " Nunc ostendendum, A. S. clamat, iam actum fore de luminaribus liturgicis in omnibus regionibus catholicis, si admitterentur conclusiones alterius partis citatae relationis. „ Ex corde compatimur animadversionum Scriptorem, qui seu per se, seu per alium illas exaravit. Cum enim cerae fabricator ipse sit, praeter zelum pro liturgicis luminaribus, quo eum flagrare credere iuvet, gravi potuit lucri emergentis damnique cessantis periculo se timere expositum. Hinc demonstrare conatur, quod demonstrari generaliter nequit, neque ut plurimum, nisi gratuitis, nec veritati conformibus assertis innixus, uti in altera, quam pertractat, parte, et quam secundam Suffragii partem A. S. considerat, videndum est.

A. S. sibi quaerit: Utrum cereus ex alienis materiis, quae cera apum praecipue non sunt, compositus, haberi possit ut cereus? Inde subiungit: " Est ne habendum numisma aureum, si licet usurpare similitudinem, numisma continens praecipue cuprum vel aliud metallum inferius? „ Sibique respondet, de hoc solam S. R. Cong.nem esse iudicem. Evidenter negotiator se revelat, a numismate aureo paritatem desumens. Quod autem calliditatem nimis sapit, est primum de cereo quaesitum, cui, cum sequatur alterum de numismate, necessariam A. S. dandam esse urget negativam responsionem. At notandum imprimis est, e rebus quae commercio subduntur, paritatem ad ecclesiastica supellectitia incongrue sumi. Negotiatio enim in illis exigit omnimodam veritatem, dum in istis indulget Ecclesia, ut aliqua veritas et saepe similitudo tantum veritatis comprobetur. A. S. relegat, quae pag. 384 et seq. num. Ephem. an. 1901

exposuimus. Insuper quaesitui primo proposito, non alteri, cui respondere maxime negotiatores interest, sciat A. S. iam respondisse Ecclesiam, non quidem loquendo, sed tacendo. Et sane: anno 1885 sequentia enodanda Dubia S. R. Cong.ni fuere proposita, et quidem postquam eadem S. C. Votum alteri ex Praelatis Romanis elucubrandum ad rem commiserat: " 1. An attenta pretii gravitate vel penuria candelarum cerearum, adhibere liceat in Ecclesiis, sive in altaribus, sive ad Ecclesiae ornatum, candelas, quae non sint vel ex toto vel ex parte ex cera apum confectae? 2. An ob eamdem causam permitti possit usus candelarum, quae ex substantiis tantum vegetalibus constent? 3. An ob eamdem causam candelae ex cera vulgo *di Venezia* (1) admitti valeant?

Iam nunc Praelatus, qui Votum confecerat, sequentis fuit sententiae, quam, ut par erat, Sacro Tribunali Rituum humiliter subiecit: " Attenta penuria cerae per opera apum eductae, eiusdemque pretii gravitate, ad Ecclesiae ornatum tollerari posse candelas, ex cera vulgo *di Venezia* confectas. In altaribus vero caeterisque liturgicis caeremoniis candelae opus est ut sint ex cera apum, cui tamen minori ex parte commisceri possit cera nonnisi ex vegetalibus obtenta. " Quid vero putas E.mos Patres respondisse?

Nihil prorsus. Quid autem inde exortum est, quod E.morum Patrum sapientiam certe latere non poterat? Usus candelarum ex materia praecipue extranea, longe lateque propagatus est, saltem certe in nostra peninsula. Cerae apum quantitas, minor quoque, quam antea, facta est; immo can-

(1) Ceram vulgo *di Venezia* ex maxima parte constabat, iuxta analysim 1881 a cl. Prof. Regnani peractam, ex alienis substantiis. Videlicet partim ex acido stearico, partim ex parafina, partim ex cera vegetali (fortasse *Carauba* vel *Carnauba*, substantia minerali: pars minor est apum cera 20|100 circiter *(Note del Prof. Regnani super cera detta di Venezia)*.

delae sine fine confectae sunt a fabricatoribus ulla sine apum cera, atque integre ex materia, quae *stearina*, *parafina*, *ceresina*, *carauba*, *vegetalis*, dicitur.

Rebus ita se habentibus, iterum quaestio huiusmodi S. R. Tribunali proposita est impraesenti; et alterius voti ad rem coficiendi munus Rev. C. Mancini, S. R. Cong.nis Consultori commissum ab Auctoritate fuit. Hic autem praeteritis consideratis, ne cera apum omnino deficeret in candelis Ecclesiarum, saltem super altaribus, contentus fuit, ut saltem pars illius, notabilis tamen, ab Auctoritate praeciperetur, quod et liturgica Commissio probavit. Maior enim severitas, in cera apum exigenda tantum, aliaque extranea materia vel omnino excludenda, vel in minima proportione tantum permittenda, quasi oleum et operam perdere visum est. Quid tamen E.mi Iudices responsi dederunt?

Iterum nihil, prorsus nihil. Quid autem silentium istud significare velit, A. S. oportet serio perpendat. Quantum enim videmus, dictum silentium sibi vult, inconveniens super cera ex materia extranea in candelis Ecclesiarum tolerandum esse tristitia temporum, et legem de mera apum cera non esse urgendam, etsi super altaribus tantum. Secus E.mi Patres aliquid profecto respondissent, saltem ut fabricantes coercerent, et imminueretur, aut ne ulterius invalesceret inconveniens. Et sane anno 1885, super sententia strictioris iuris, quam tamen aequitate plenam nemo inficiabitur S. R. C. tacuit. Sexdecim post annos, cum inordinatio iam satis succreverat, super mitiori sententia, ex qua lex imperfecte tantum potest comprobari, iterum tacuit, et ex silentio nonnisi gravior fieri inordinationem posse, S. R. Cong.nem latere non poterat; quid ergo concludendum? De disciplina agitur: legem relaxat auctoritas; adeo ut quod, lege inspecta, inconveniens sonat, auctoritate silente, aut esse inconveniens desit, aut praesentibus rerum locorumque perpensis adiunctis, ulterius non sit insistendum, et quod per se est

illicitum, licitum faciat necessitas. Ergo, si hac in re S. R. C. solum iudicare potest, uti A. S. admittit, iam is acquiescat, iudicavit enim.

Post hucusque exposita, vix necessitas foret reliquis satisfaciendi, quae A. S. opponit. Nihilominus procedamus. Materias dicit minerales in compositione cerae admisceri, uti *ceresinam, parafinam:* inde quaerit, num Rev. Consultor *acceptas habeat.* Reponimus: In frumenti inopia, ervum. Quod si *videre* in hypothesi *erit, iuxta opificum beneplacitum aut commodum, cereos ex omni genere materiarum, animalium, vegetalium, mineralium, compositos, quippe quae ut liturgicae habentur, dummodo aliquantulum (nos addimus nihil) cerae contineant,* quid ad nos? Haec factum constituunt, competenti Auctoritati notissimum: quae ut iudicet exorata est, et tacuit; ergo silentio tolerat. Si ipsa tolerat, nonne uti saltem tolerantia dignum admittendum ab omnibus erit?

Rev. Consultor, A. S. prosequitur, tenet notabilem cerae proportionem, propter malam artificum fidem, non debere a lege determinari. At, si res ita se habet, subiungit, in quibusdam regionibus, contra suam thesim vadit, quia hominibus fide indignis reputatis applicationem regulae liturgicae omnino committit. — Quid, quod, reponimus, neque id praecipere maluit S. R. Tribunal? Quid, quod plurimi sine ambage cereos suos venditant ulla sine apum cera compositos, palamque id dicunt et praedicant, et S. R. Tribunal apprime cognoscit? Cerae apum commixtio notabilis iam antea desiderabatur, magis desideratur impraesenti, cum tamen nulla sit: quid autem desiderabitur in futuro, cum S. R. Tribunal interim sileat? Quid ad haec A. S. respondebit? Ceterum, sperandum credidit Rev. Consultor, facilius obtineri posse implementum mitioris, quam severioris legis. Minus autem inconveniens esset, si fraudem admitterent fabricatores in proportione cerae apum, quae facilius adim-

pletur sine ingenti lucri damno, quam si fraudem admitterent in rei substantia: cuius exercendae fraudis modus per severiorem legem illis traderetur. En spiritus, a quo Consultoris sententia formam assumpsit; notum est enim inter homines, eo magis legem infringi quo, illa severior apparet. Scit ne A. S. nationes olim catholicas? Quaenam quasdam sunt in praesenti? Cuinam tribuenda causa? Iansenismo, ni fallimur. Si veritas est, nihil probare quod probat nimis, haud certe falsitas, nihil obtinere qui nimium exigit: de cetero, aquam e pumice postulare non convenit. E.mi Patres, credimus, legem non censuerunt urgendam, quam opifices non essent adimpleturi. Hinc quoque manifesto illico patet, quae in quarto puncto discutiuntur, nulla vi pollere: ut iis respondere inutile iudicemus. Quid namque, si apum cera plus minusve extraneae materiae immisceatur? Sit cerae apum proportio notabilis, sit parva, sit minima, sit etiam nulla, sacrum Tribunal silet; ergo non solum conclusiones Consultoris admittere fas est, sed ulterius progredi non est impraesenti illicitum.

Inferre ex dictis facile est, modum a Consultore propositum, de cerae apum quantitate notabili in candelis altarium, id constituere quod obtineri potest, non praecise remedium, sed indulgentiam. Dum ius strictum, in quod omnimode inclinat A. S. vere peius esset quocumque remedio: quippe quod rem moraliter impossibilem exigeret, quam ideo E.morum Patrum sapientia respuere consultius censuit.

Inscite autem ex Consultoris sententia infertur *iam actum esse de luminaribus liturgicis in cunctis regionibus catholicis*, uti A. S. praedicat; quia luminaria liturgica ea sunt, quae competens Auctoritas praecipit, permittit, tolerat. Atqui, dicta luminaria, licet vi Rubricarum ex cera esse debeant, permittit aut tolerat competens Auctoritas, ut sint ex cera apum alia cum materia, sive in notabili, sive in minima, proportione immixta; ergo...

De analysi agenda silemus ; quia neque ecclesiastici emptores ad illud tenentur, neque cogi possunt, neque Auctoritas prudens iudicat ut continuo fiat. Ceterum tricarum ac dicteriorum, aliorumque fortasse graviorum inordinationum causa foret examen, quae potiori ratione omnino vitanda sunt.

Pars ultima animadversionum plura asserit, quae veritati minus favent. Candelas ex mera apum cera adhibere in Ecclesiis, esse perfectius et securius, libenter admittimus : dummodo et admittatur, actus non contrarios legi relativam quoque perfectionem habere, et securitatem conscientiae parere. Quaerit A. S. an istud perfectius ad opus reduci possit, et affirmative respondet, factisque probat. Sed vera sunt ne ? Respondere cogimur negative. Ait : " Romae, duodecim circiter abhinc annis, adhibebantur profecto cerei ex cera apum... Admittere id nequimus. Candelae ex materia mixta (a nota, seu *lega* abstrahimus) apparere coeperunt postquam infelix Gubernium Italicum depauperare coepit, plus minusve, Ecclesias : quod longe remotius accidit, quam A. S. asserat. Sane Clemens Marchisius, Parochus, e Taurinensi dioecesi, die 20 Maii 1885, ex consilio Archiepiscoporum Taurinensis et Vercellensis, S. R. Cong.ni scribebat, postquam inviserat fere omnia cerae negotia praecipua Pedemontis, Liguriae, ac Veneti et Longobardiae. Quid autem refert ? " *Super cerae officinis cunctis* scriptum *reperi : Mysterium !...* Multi ex fabricantibus me in officinas ingredi cupientem impediebant, honestiores dicebant, morem se aliis gerere, ut pretii certamen sustinere possent. Unam tantum Ianuae officinam reperi, quae candelas conficiebat, cum cerae apum quantitate 90 0[0.. Ut veritatem dignosceret diligens Parochus publicas tabulas habere curavit vectigalium, unde rescivit quantitatem cerae apum, quam fabricatores acquirebant, et analysim instituit chimicam candelarum : quid detexit ? Persuasit sibi, *officinas omnes, quae a cera nuncupantur*

eiusmodi nomen haud mereri, cum ceram dicant quamcumque materiam, quae in candelas redigi possit et ardeat: ut nulla ex officinis ab apum cera appellari iure valeat.

Materias extraneas cerae immixtas inde enumerat: 1. Acidum stearicum, ex adipe animalium productum, peculiariter Balaenae adipem: *b*) Paratinam, e *catrame* extractam, et *cerosinam*: *c*) *Carnaubam* e Brasiliana planta eductam, ceram Iaponensem, seu vegetalem, e variis arboribus excerptam: *d*) Resinas plures. Hinc addit: " Apum cera, generaliter, satis parum adhibetur, cum officinas reperi, quae per annum sex vel septem millia kil. candelarum conficiunt, et kil. quingenta ex apum cera sibi comparant. Plures nil cerae adhibent, alii 2 0|0 in superficie candelarum ".

His positis, obvia est animadversio: haud in omni oppido vel civitate candelarum officinae instituuntur, sed pauci fabricantes permultas Ecclesias oppidorum aut civitatum candelis provident.

Cum autem A. S. Romam nominet, ad aliquid super ea animadvertendum deveniendum est. " Duodecim abhinc annis, asseritur, adhibebantur profecto cerei ex cera apum ". In aliqua id Ecclesia comprobatum esse posse non negabimus; sed sensum eiusmodi, sine illusione, habere nequit propositio. Sensus ergo est, generatim, forsan dicta aetate Ecclesias Urbis candelas ex cera apum adhibuisse. Id probat A. S. haec referens: " Vir quidam huius artis, missus ut de hoc puncto paululum inquireret, nonnisi cereos ex mera cera in cunctis Ecclesiis ab eo visitatis invenit; item in officina quam visitavit, nonnisi cereos ex mera cera invenit. Meram apum ceram hodiedum adhiberi in Ecclesiis Urbis, quasi certum haberi potest ".

Sed contra est, primum, virum *huius artis*, eo ipso suspicionem ingerere, quod huius artis sit, cum et *paululum* inquisiisse constet, et ex lucri cupiditate haud difficile fucum facere potuerit. Insuper, si *paululum* inquisivit, pro *cunctis*

Ecclesiis, aliquam vix, intelligi ex illis facile concipitur. Tertio si *officinam unam* tantummodo invisit, rectum non potuit iudicium ferre, quia plures erant. Hinc omnino absona est a praemissis illarum consequens: *hodiedum adhiberi ceram meram apum in Ecclesiis Urbis quasi certum constare potest*, cum certum et indiscutibile constet oppositum.

Revera in Urbe cerae officinae *sex* sunt, *Bertarelli, Caperchi, Castrati, Fratellini, Parisi, Pisoni*. Qui omnes an meram apum ceram construant ***nescimus***, sed de praecipuis hoc ex certa ab ipsismet percepta notitia constat, quadruplicem eos conficere cerae qualitatem. 1ª Qualitas est ex cera apum, et superior dicitur; quam, quia pluris venditur, rarius emptores acquirunt. 2ª Qualitas est ex cera apum, mixta cum aliis materiis, minoris tamen proportionis, eaque a paucis emitur. 3ª Est ex cera *falsa*, mixta cum aliis materiis extraneis in maxima proportione, et plures eam sibi comparant. 4ª Nil cerae apum continet, sed tota falsa est, et a plurimis acquiritur. Hinc certo inferas, ullam vix Ecclesiam Urbis extare, in qua aut falsa, aut graviter corrupta cera non adhibeatur: quamvis aliquae sint, e principalibus tamen et tantum, quae candelas ex mera apum cera pro Missa solum adhibeant; aliae minus corruptam, seu secundae qualitatis. At generaliter verum est, omnes fere Ecclesias in Urbe falsa cera uti, utpote infimi pretii, ex defectu facultatum, et ex generaliter invecto usu.

Nunc ad Gallias. Superior Generalis Ordinis Praemonstratensis, anno 1882 litteras dedit ad S. R. Congregationem, quarum exemplar apud nos servatur. Quid vero refert? " En France, la grande majorité des fabricants de cire ne mettent dans les cierges liturgiques, *qu'une très-petite quantité de cire pure d'abeilles*, se servant surtout de *stéarine*, ou d'autres *matières végétales* ". Proportionem explicans, ait: " . . . laquelle quantité souvent ne dépasse pas le 5 ou le 10 °/₀ ". Idque, eo quod, proposita quaestione pluribus Galliarum Epi-

scopis, alii responderunt, libertatem inesse fabricantibus, quod S. R. C. suum non dedit iudicium; alii, nihil positivi reponendum, consultius duxerunt.

Patres Praemonstrates id confirmant, deponentes: " Les lois diocésaines sont très variées sur ce point.... aufin donnent aux fabricants la plus grande latitude pour livres des cierges, dans la composition desquels il entre une *infime* quantité de cire ". Mutatam ergo rem esse in praesenti credendum est? Et hoc fide innixi, quam bonam iudicare malumus, Opificis Nannettensis? Ita ut, non solum in Galliis, sed in aliis nationibus impraesentiarum sola apum cera aut in pluralitate Ecclesiarum Orbis iam regnet, aut quam citius eam regnaturam censendum sit? Aliquantum difficile creditu nobis est: et cum de factis agatur, ea afferantur oportet: eecus facilius nobis persuademus negotium in peius ire, quam in melius, uti rerum humanarum est.

Denique Opifex Nannettensis probare nititur, meram ceram apum ad parcimoniam magis conducere, quam ceras mixtas, eo quod lentius illa consumatur. Parcat nobis illustris Artifex, si quod ipse asserit, ex experimentis actis, omni securitate negamus. Etenim fusibilitatis ratio, quam allegat, haud satis probare valet, cum cera mixta, imo et cera falsa minus fusibilis sit reddita, quam ipsa (proportione facta) cera apum, seu ex natura plurium substantiarum, ex quibus componitur, seu ex arte illam conficiendi, vel alia ex causa, quam ignoramus. Hinc, pretio satis *maiori*, colatura et reliquis comparative perpensis, *maior* nimis est in corruptis ceris, quam in apum, parcimonia. Unde fit ut rerum, temporumque adiunctis consideratis, opportunum Eminentissimi Patres non censuerint in cerae apum exclusivo usu insistere, sed potius ab antiquitatis disciplina recessum, ex necessitate, silentio suo tolerare.

His tamen omnibus singulisque expositis, nequaquam opponitur, ut et nos conveniamus cum A. S. dicentes: Sine

ullis ambagibus interest, ut usus candelarum semper foveatur in Ecclesiis, maxime super altaribus. Usus enim eiusmodi praxi absonus permittitur, non ex iure, sed uti ex quadam necessitate invectus, et hic non alius fuit Rev.mi Consultoris, totiusque Liturgicae Commissionis Suffragii sensus, ipsiusque, uti credimus, Eminentissimorum Patrum silentii significatio.

APPENDIX

E S. Rom. et Univ. Inquisitione

Beatissime Pater,

Sacerdos N..., Magister caeremoniarum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, haec exponit:

Orator interfuit consecrationi episcopali Titii Episcopi. Iuxta Pontificale Romanum, in consecratione episcopali, " *Consecrator, accepto libro Evangeliorum, illum apertum, adiuvantibus Episcopis assistentibus, nihil dicens, imponit super cervicem et scapulas electi;* „ hic autem ritus peragi debet ante impositionem manum Episcoporum et prolationem verborum: " *Accipe Spiritum Sanctum;* „ ita ut quando Episcopi manus imponunt, et relata verba pronuntiant, liber Evangeliorum iam sit super scapulas Electi.

Porro in consecratione Titii, hic ritus impositionis libri Evangeliorum super scapulas electi serius peractus est: nempe postquam cantores inceperunt hymnum *Veni, Creator*, ante tamen unctionem capitis: tunc enim tantummodo, Magistro caeremoniarum defectum advertente, Episcopus consecrator imposuit librum Evangeliorum apertum super scapulas electi et processit ad reliqua, nempe unctionem capitis, etc. — Unde, quando tres Episcopi manus imposuerunt: " Accipe Spiritum Sanctum „, liber Evangeliorum non erat super scapulas Electi. De hoc ergo defectu sollicitus praefatus Magister caeremoniarum humillime quaerit:

Utrum acquiescere possit Orator, vel potius aliquid iterandum aut supplendum sit.

Quod si iterandum aut supplendum sit, postulat Orator, ut id fieri possit ab uno quocumque Episcopo et quovis die et sine Missa, ne qua oriatur admiratio aut perturbatio: ipse enim novus Episcopus prorsus ignorat hunc defectum, quem soli noverunt, ut videtur, Magister caeremoniarum et Episcopus Consecrator.

Et Deus, etc.

Feria IV. 30 Iulii 1901.

In Cong. Gen. habita ab E.mis et R.mis DD. Card. Gen. Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum S. O. voto, iidem E.mi ac R.mi DD. respondendum censuerunt: \

Acquiescat.

Insequenti vero feria VI die 12 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Commissario S. O. impertita, SS.mus D. N. Leo Div. Prov. Pp. XIII. habita de omnibus relatione, responsionem E.morum Patrum adprobavit.

I. Can. Mascini, *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

E S. Cong.ne Indulgentiarum

MONASTERIEN.

Hermannus Dingelstad, hodiernus Episcopus Monasteriensis, per Breve Apostolicum die 16 Febr. 1897 facultatem obtinuit, " in qualibet Ecclesiarum parochialium et collegiatarum necnon rectoralium, seu adnexarum appellatarum, quibus Vicarii sive, uti vocant, expositi sive curati, iuribus parochialibus gaudentes, ac propriam curam animarum exercentes praesunt, unum Altare privilegio... decorare. "

Attamen in Dioecesi Monasteriensi existunt etiam Vicarii curati, qui Ecclesiae filiali seu adnexae ad tempus addicti sunt, curam animarum exercent ac iuribus parochialibus gaudent, exceptis bannis nuptialibus et sepultura, quae in Ecclesia parochiali matre habentur.

Episcopus Orator modo a S. Congregatione Indulgentiarum expostulat :

An etiam in talibus Ecclesiis, vi facultatis supradictae unum Altare privilegiatum designare valeat ?

Porro S. Congregatio, audito etiam unius ex Consultoribus voto, praefato dubio respondendum mandavit :

Affirmative, iuxta Decretum in una *Wladislavien.*, d. d. 27 Novembris 1764 (1).

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 27 Aprilis 1901.

L. M. Card. PAROCCHI.

Pro R. P. D. Franc. Archiep. Amiden., *Secretario*,

Ios. M. Can. Coselli, *Substitut.*

(1) En tenor cit. Decreti: " Quum in dioecesi (Wladislavien.) ob tenuitatem beneficiorum pleraeque parochiales unitae sint, an idem privilegium intelligatur concessum omnibus et singulis, vel iis tantum, in quibus aliqua parochialia munia aliquando fiant per annum, licet cum ceteris maioribus sint unitae? — Resp.: Sanctitas Sua declaravit, privilegium Altaris quotidiani ad septennium illis tantummodo Ecclesiis per extensionem concedendum esse quae parochiali unitae, seu eiusdem subsidiariae, plerasque parochiales functiones (quae proprie parochiales sint) infra annum exercent. „

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli, Archiepiscopus Myren. EVicesgerens

PROPRIETAS LITERARIA.

Roma. 1902. - E schola typographica vulgo " Tata Giovanni „*Piazza del Biscione, 95.*